eſſe adducendi in judicium: ſed quia nec bona, nec mala eſſe omittenda: ſicut omittuntur a lege, quæ nec ea præcipit, nec prohibet, ſed permittit.

XXIX. Sed contra. Hæc opera facta ſunt ab homine humano & libero modo: ergo pertinent ad ea, quæ geſſit homo in corpore; ergo adducenda ſunt in judicium. Quod enim Paulus dicit, quod nempe referet unuſquiſque &c. *ſive bonum, ſive malum*, bonum, vel malum non eſt particula reſtrictiva, quaſi ſolum referat bonum, vel malum; ſed declarativa: quia ſcilicet omne, quod fit humano modo, bonum, aut malum eſt, & deferetur ad tribunal Chriſti, ſive ut præmiandum, ſive ut puniendum. Rurſus Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari oportet*, ideſt, omnes homines, qui humano ac libero modo operamur in Corpore: at ſi non omnia opera humano modo facta eſſent deferenda ad judicium, nimirum opera indifferentia, non omnis homo oporteret manifeſtari, immo aliquis non oporteret. Si enim puer, ad uſum rationis jam adductus, exerceret primos actus liberos indifferentes, & antequam eliciat actum bonum, vel malum ſtatim moriatur, iſte cum ſolis actibus indifferentibus decedet; ergo ſi non oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti hominem ob actus indifferentes, iſte ſic decedens non oportebit manifeſtari ante tribunal Chriſti. Nec poteſt reſponderi ab Adverſariis, quod cum homo, ad uſum rationis deveniens, teneatur ſe convertere ad Deum; ſi faciat actum indifferentem, peccat, ut docet D. Thom. & nos cum illo tenemus. Nam hoc Adverſariorum plerique negant.

XXX. Reſpondent alii, aſſignando diſparitatem inter verba otioſa, & opera: illa enim, ſi otioſa ſint, mala ſunt, non tamen iſta. Et rationem dant. Tum quia verbum ex ſe eſt ordinatum ad mentis manifeſtationem, ut ad finem; & ideo hoc ipſo, quod caret fine, eſt otioſum: opus vero non eſt propter aliud, ſed propter ſe. Tum quia locutio eſt actio magis rationalis, quam aliæ actiones externæ: ideoque magis propria eſt hominis, & requirit finem rationi conſentaneum magis, quam aliæ, ut ambulare &c. quæ quodammodo animales dici poſſunt.

XXXI. Sed contra. Nam Deus non minorem rectitudinem expoſcit in factis, quam in verbis; ergo ſicut in verbis requiritur debitus finis, ita & in factis. Diſparitates autem adductæ frivolæ ſunt. Nam prima æquivocationem continet; quia aliud eſt id, ad quod verbum ordinatur ex ſua ſignificatione, aliud id, ad quod ordinatur a loquente. Primum eſt manifeſtare id, quod eſt in mente: & hoc habet verbum etiam otioſum, dummodo ſit verax, ut ſupponimus. Secundum eſt, hanc locutionem, & mentis expreſſionem ordinari ad finem bonum, & honeſtum: & hoc debetur non magis locutioni, quam facto, ſi utrumque humano modo fiat. Quare neque valet ſecunda diſparitas: cum enim quælibet actio, etiam ambulatio humano modo facta, ſit rationalis non minus, quam locutio; non minus requirit finem honeſtum, quam illa.

XXXII. Reſpondent tandem alii, negando, actionem, quæ ad finem honeſtum non ordinatur, eſſe otioſam: ut enim aliqua actio otioſa non ſit, ſat eſt, ut ad aliquam naturæ commoditatem ordinetur.

XXXIII. Sed contra. Nam vel per commoditatem naturæ intelligitur conſervatio ſanitatis, ſeu ſuſtentatio, quies, ac recta conſiſtentia corporis; vel delectatio aliqua ſenſibilis in corpore inde ſecuta: ita ut iſta ſit finis actus, nec ordinetur ad alium finem. Primum certe non reddit actum otioſum, & carentem debito fine. Cum enim conſervatio ſanitatis, ſuſtentatio, ac quies corporis ſit bonum honeſtum, *hoc ipſum, quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur*; ut ſupra dicebamus cum D. Th. hoc *a. 9. ad* 3. Quo fit, ut actiones, quæ ad vitæ, vel ſanitatis conſervationem utiles ſunt, vel neceſſariæ, & ex hoc fine exercentur, non ſint indifferentes, ſed honeſtæ, & naturæ rationali conformes: rationi enim conſonum eſt, indigentiis partis vegetativæ, & ſenſitivæ conſulere; prudentia dictat, his naturæ indigentiis eſſe ſubveniendum ex naturali dilectione, qua quis ſeipſum diligit, quæ, ſi ordinata ſit, bona moraliter, ac honeſta eſt. Secundum vero dici nequit. Nam, ut jam diximus, delectabile bonum non poteſt eſſe finis creaturæ rationalis ordinate operantis. Etenim D. Thom. hac 1. 2. *q.* 4. *a.* 2. *ad* 2. ponens differentiam inter appetitum ſenſitivum, & rationalem, dicit, quod in illo *operationes quæruntur propter delectationem*; iſte autem *principalius intendit bonum, quam delectationem. Et inde eſt, quod divinus intellectus, qui eſt inſtitutor naturæ, delectationes appoſuit propter operationes*. Quare, ut aliquis operetur conformiter ad inſtitutionem naturæ rationalis, neceſſe eſt, ut delectationes quærat tamquam media ad operationes honeſtas, ut ad finem: & ſi e contra quærat operationem propter delectationem, tamquam finem, pervertit ordinem a divina Providentia ſtatutum. Quo ſpectat illud Auguſtini celebre dictum l. de Pecc. orig. c. 40. *Tanta namque excellentia eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura ſit pecoris*. Vel igitur homo quærit operationem propter delectationem, in ea ſiſtens; & ſic agit ut pecora, & vitioſe agit: vel quærit delectationem propter operationem honeſtam, & ſic agit ut homo & recte agit.

## §. III.

### *Fundamenta contraria ſecundæ Aſſertionis.*

XXXIV. PRimum fundamentum eſt. Nullum datur præceptum, quo teneatur homo omnem actionem ſuam in finem honeſtum dirigere: hoc enim præceptum non eſt naturale; cum ad nullum ex præceptis in Decalogo contentis, quæ naturalia ſunt, reducatur: neque poſitivum, cum hoc in Scripturis revelatum non fuit; ergo ruit tota noſtræ ſententiæ baſis.

XXXV. Confirm. primo. Si adeſſet aliquod præceptum, hoc eſſet affirmativum, ſemper quidem obligans, ſed non ad ſemper. Nimis enim rigoroſum eſſet, & fere impoſſibile, quod homo in omnibus ſuis actionibus, & pro ſemper, in his etiam, quæ naturæ commoditatem, & vitæ ſuſtentationem ſpectant, ut ſpuere; purgare nares, fricare barbam, teneatur ſemper reſpicere finem honeſtum: alias cum continuo tales actiones occurrant, homo continuo peccaret, ſaltem venialiter; & ſic omnes actiones humanæ, etiam Juſti, eſſent macula inquinatæ: quod eſſet incidere in errorem Lutheri, & Calvini damnatum in Trident. *ſeſſ. 6. can.* 25.

XXXVI. Confirm. ſecundo. Præcepta omnia ſunt de actibus virtutum: ſed omnia ad finem honeſtum referre, ad nullam virtutem pertinet; ergo de eo nullum extat præceptum.

XXXVII. Reſpondeo, neg. ant. ſicut enim datur præceptum de non fundendis otioſe verbis, & non terendo inaniter tempus in illis; ita datur de non terendo tempus inaniter, & otioſe operando: ſicut tamen in verbis, ita in operibus, ſi debito fine careant, homo inaniter terit tempus, & otioſe exercetur. Dico ergo, dari hoc præceptum, & eſſe naturale. Ad id, quod additur, non contineri in ullo præcepto Decalogi, reſpondent aliqui, contineri implicite in primo præcepto diligendi Deum ſuper omnia, quo jubemur referre in Deum omnes noſtras actiones humanas, ſaltem mediate; quod fit eas ordinando in aliquem finem honeſtum. Reſpondent alii, præceptum iſtud non contineri in præceptis Decalogi, ſed ad ea præſupponit. Sicut enim dantur quædam veritates, quæ per ſe non pertinent ad objectum fidei, ſed ſunt velut præambula ad illam, ut Deum exiſtere, Deum eſſe unum, teſte D. Thom. 1. *p. q.* 2. *a.* 2. *ad* 1. ita dantur quædam præcepta naturalia, quæ non continentur in præceptis Decalogi, ſed ſunt quaſi præambula ad illa, ſicut eſt præceptum diligendi ſeipſum. Etenim nullum legimus præceptum diligendi nos ipſos, ſed ſolum diligendi Deum, & proximum; cum tamen nos ipſos diligere teneamur. Cujus ratio eſt: quia cum diligere nos ipſos ſit maxime naturale (& propterea nulla datur virtus ad diligendum nos ipſos; quamvis detur ad diligendum Deum, & proximum, quia ad hoc inclinatio naturalis ſeipſa ſufficit) non oportuit de hoc dari ſpeciale mandatum. Cum potius ſit generale mandatum in natura rationali fundatum, & omnes ejus actus deliberatos reſpiciens, quod nempe, omnes actus ſuos deliberatos teneatur ex juſto fine facere, eoſque ſecundum regulam rationis menſurare. Hoc enim eſt, hominem agere ut rationalem a brutis diſtinctum. — Dicunt alii, extare præceptum tum explicitum in illis verbis Apoſtoli 1. Corint. 10. verſ. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Unde S. Auguſt. in Pſalm. 34. Conc. 2. ait: *Quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum*. Tum implicitum in præcepto non faciendi actum otioſum: Nam præceptum contra otioſitatem ſive verbi, ſive facti maxime reſpicit finem; ut videlicet non fiat aliquid ſine pia utilitate, vel juſta neceſſitate. Videatur D. Thom. *q.* 2. *de Malo art.* 5. *in corp.*

XXXVIII. Ad primam confirm. primo concedo, illud eſſe præceptum affirmativum, nec obligare pro omni prorſus tempore: quandoquidem tunc ſolum obligat, pro eo, quod homo ex deliberata voluntate operatur. Et quia eſt præceptum continens univerſalitatem actionum; ideo nullas poſſumus actiones deliberatas excipere. Secundo; quia virtualiter continet hoc negativum, nihil eſſe faciendum contra, vel propter Deum, & rationis rectæ ordinem; ut indicat D. Thom. in 2. *diſt.* 40. *art.* 5. *ad* 7. Neque propterea ſequitur, homines paſſim, & continue peccare: partim quia non continue exercent actus deliberatos, ſed multos indeliberate faciunt: partim quia etiam cum deliberate agunt, non oportet, quod actualiter cogitent de fine honeſto, nec quod actu referant actiones in illum, ſed ſufficit, quod virtualiter. Hoc autem facit tum fidelis, qui de Deo actu non cogitans, ideo operatur quæ fidei, & Chriſtianæ Religioni conveniunt, quia vel expreſſe, vel interpretative judicat, ea decere Chriſtianum. Tum infidelis, qui in ſuis actibus ſpectat vel eum finem, ad quem dictante ratione referendæ ſunt, vel aliquem alium ex ſe bonum nulla prava circumſtantia vitiatum. In quo nemo non videt, quantum diſcriminemur a Calvino, & Lutero, qui omnes omnino actiones, etiam hominis juſti, eſſe inquinatas, & malas in ſe, blaſphemant.

XXXIX. Ad ſecundam confirmationem nego min. Omnia enim ordinare ad finem honeſtum, eſto non pertineat ad aliquam particularem virtutem, ſed ſit inclinatio ipſa naturæ ut rationalis; eſt tamen aliquid majus, & univerſalius complectens objecta, & materiam omnium virtutum: & hoc modo dicitur actus bonus, & virtuoſus. Sicut e contra non ordinare ad finem honeſtum, dicitur actus vitioſus, non quia opponatur alicui virtuti ſpeciali; ſed quia eſt contra modum generalem operandi naturæ rationalis, & contra dictamen generale rationis, quod majus eſt omni virtute.

XL. Sed contra dicta replicabis. Sicut proprium eſt hominis, ut rationalis eſt, dum agit ut homo, omnia referre in finem honeſtum; ita proprium eſt ejus, dum agit, agere deliberate, & non indeliberate, ut faciunt bruta: ſed nullum adeſt præceptum, quo teneatur agere deliberate, dum agit: alias fricare barbam, movere manum, vel pedem indeliberate forent peccata; ergo nullo etiam præcepto tenetur, dum





agit deliberate, omnia referre in finem honeſtum. Maj. patet. Quia ſicut per hoc, quod omnia in finem honeſtum referat, diſtinguitur homo a brutis: ita & per hoc, quod agat cum rationis advertentia, & deliberatione.

XLI. Secundo replicabis. Poteſt aliquis, tali præcepto ſuppoſito, ejus obligationem invincibiliter ignorare, & ratione talis ignorantiæ ab ejus impletione excuſari; ergo in iſto dari poterunt actus indifferentes in individuo.

XLII. Tertio. Opinio oppoſita negans tale præceptum dari eſt valde probabilis; ergo licet poteſt quis ea uti; ergo tunc faciens actum indifferentem ex fine indifferenti non peccabit, quia utetur opinione probabili: neque faciet actum moraliter bonum, quia ad finem honeſtum non reſpiciet.

XLIII. Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando conſequentiam. Et diſcrimen eſt: Quamvis enim ad naturam rationalem pertineat non ſolum ordinare, ſed & deliberate agere; non eſt tamen in hominis poteſtate, ſeu rationis, deliberare de omnibus actionibus, & omnia agere cum advertentia: dum enim ſumus in corpore corruptibili ratio pendet a ſenſu, & imaginatione, quæ ſæpe irrepit, & prævenit advertentiam rationis. Quotieſcumque autem homo deliberate operatur, ratio ſemper poteſt actum illum in finem rationis ordinare, ideoque tenetur: & ſi non faciat, male agit.

XLIV. Ad ſecundam replicam. Aliqui admittunt quidem, de tali præcepto dari poſſe ignorantiam ſpeculativam; negant tamen dari poſſe ignorantiam practicam, quæ ſit invincibilis. Nemo enim rationis compos invincibiliter practice ignorare poteſt præceptum, ſeu dictamen generale ſyndereſi, & prudentiæ ab auctore naturæ omnibus inſitum, omnes actiones humanas in bonum honeſtum dirigendi, ſeu nunquam ſiſtendi in bono delectabili ut in fine. — Alii vero admiſſa ignorantia invincibili, etiam practica de tali præcepto, negant, actum illum fore indifferentem; ſed dicunt fore bonum: quia quantum attinet ad judicium rationis practicæ, actus ille verſaretur circa materiam debitam, & convenientem, quamvis ſpeculativæ rationis judicium eſſet erroneum. Quia judicium practicum dicitur verum per conformitatem ad appetitum rectum: judicium vero ſpeculativum verum dicitur per ſolam conformitatem intellectus ad rem.

XLV. Ad tertiam replicam. Qui negant, generaliter licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; negant, poſſe licite quempiam uti ſententia negante dari præceptum referendi actus humanos ad finem honeſtum. — Qui vero admittunt, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem, quæ vere, & in praxi probabilis exiſtat, omiſſa probabiliori; dicunt, ſententiam D. Thom. intelligendam eſſe quantum eſt ex rei natura, & per ſe loquendo, ideſt ſecluſa, tum ignorantia, tum probabili judicio contrariæ opinionis; non per accidens, ſtante vel ignorantia, vel judicio probabili alterius opinionis; in hoc enim caſu non negant, poſſe accidere, aliquod opus deliberate factum, poſſe eſſe indifferens in individuo. Quamvis difficile ſit exiſtimare (etiam ſtante tali opinione) non futurum illud opus revera malum, nempe otioſum, & quidem deliberate factum; niſi ſupponatur etiam omnino inculpabiliter ignorari, quod opera otioſa, ex deliberata voluntate facta, ſint peccata ſaltem levia: quæ ignorantia, an revera poſſit dari, in controverſia eſt.

XLVI. Secundum fundamentum eſt. Agere aliquid ad ſolam delectationem capiendam, non eſt malum; neque rationi diſſonum, ſed mere indifferens; ergo &c. Ant. prob. Comedere, vel bibere ſolum ad delectationem capiendam ex ſuavitate cibi, vel frigiditate potus, dummodo ſanitati non noceat; odorare flores, aut res aromaticas ob ſolam delectationem ex odore capiendam; vel audire muſicum concertum ob ſolam delectationem auditus, non ſunt contra rationem, nec malum, aut peccatum: quis enim hæc damnet? Ergo agere aliquid ob ſolam delectationem non eſt malum &c.

XLVII. Reſpondeo; neg. ant. Cum enim, ut ſupra dixi ex D. Thoma, operationes non ſint propter delectationes, ſed e converſo delectationes propter operationes; qui eligit operari propter ſolam delectationem, & ad eam ordinat operationem, inordinate agit. Ita S. Auguſt. *l.* 10. *Confeſſ. cap.* 31. de cibo, & potu loquens: ait: *Et cum ſalus ſit cauſa edendi, & bibendi, adjungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur; ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere, vel dico, vel volo*. Quibus dolet Auguſtinus, quod comedere, vel bibere, quod cauſa ſalutis faciendum eſt, ſæpe faciat cauſa delectationis: non doleret autem, ſi non exiſtimaret malum. Et *c.* 33. dolens, ſe magis moveri a ſanctis hymnis, dum cantantur ſuaviter, quam ſi non cantarentur. *Sed* (inquit) *delectatio carnis meæ . . . ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur, ut patienter ſit poſterior; ſed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere, ac ducere conatur: ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio*. Quibus S. D. diſtinguit inter delectationem comitantem, & conſequentem cauſam; & delectationem præcurrentem, ac ducentem, ſeu moventem ad audiendum cantum: & in hac ſe peccare dicit. Si ergo Auguſtinus dolet ſe peccare, dum audit ſacra eloquia ob delectationem, quam experitur in cantu; nunquid non peccabit, qui ob delectationem ſolam odorat roſam, & cantum non ſacrum audit? Quare l. 4. contra Julian. c. 14. *Movetur* (inquit) *certe animus ad pietatis affectum divino cantico audito: tamen etiam illic ſi ſonum, non ſenſum, libido audiendi deſideret, improbatur. Quanto magis ſi cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectetur?*

XLVIII. Hinc idem S. Doct. paſſim docet, actum conjugii, ob ſolam delectationem, & voluptatem exercitum, peccatum veniale eſſe: *Conjugalis enim concubitus* (inquit l. de Bono conjugali cap. 6.) *generandi gratia, non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge, propter thori fidem, venialem habet culpam*. Quod repetit *c.* 7. Et *l.* 2. *contra Julian. c.* 10. ait: *In his contrahimus, unde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita noſtra. Sicut conjuges, quando modum generationi neceſſarium, cauſa ſolius voluptatis, excedunt*. Lib. etiam contra Jul. c. 14. de libidine, quæ nos appetitu carnalis voluptatis impellit, ait: *Hoc malo . . . bene utuntur nuptiæ, cum conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam. Et lib.* 5. *cap.* 12. ait: *Propter hoc* (quia ſcilicet ſine eorum commixtione non naſcitur homo) *mixti conjuges illo malo* (ideſt libidine) *utuntur bene: Si autem de libidine quærunt etiam voluptatem, venialiter male*. Idem docet S. Greg. *lib.* 22. *Moral. cap.* 20. dicens: *Tunc ſolum conjuges ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur*. Et 3. p. Regulæ Paſtoralis cap. 27. (alias admonit. 18.) *Admonendi* (inquit) *ſunt conjuges, ut ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint cauſa conjunctos: & cum immoderata mixtioni ſervientes, propagationis articulum in uſum transferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non exeant, in ipſo tamen conjugio conjugii jura tranſcendunt*. Hos Magiſtros ſecutus eſt D. Thomas in 4. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 4. his verbis; *Cum nullus actus, ex deliberata voluntate procedens, ſit indifferens . . . . actus matrimonialis ſemper eſt peccatum, vel meritorius in eo, qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducat; vel juſtitia, ut debitum reddat; vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, eſt meritorius. Si autem moveat libido ſiſtens infra bona matrimonii; ut ſcilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, eſt peccatum veniale*. Et diſt. 31. quæſt. 2. artic. 2. *Et ideo* (inquit) *duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet, cauſa prolis procreandæ, & debiti reddendi: alias autem ſemper eſt peccatum, ad minus veniale*.

XLIX. Porro ne quis hanc noſtram, & SS. PP. ſententiam tamquam rigidam, & timoratas conſcientias ſcrupulis replentem carpat, attendat ad ea, quæ ſupra cum Auguſtino tetigimus: nimirum, aliud eſſe operari cum delectatione comitante, vel conſequente actum; aliud operari ex delectatione, vel ob delectationem: ita ut delectatio ſit ut finis movens ad operandum, & agens operetur propter illam. In primo nullum morale vitium eſt, ſed ſolum in ſecundo. Audiendus propterea eſt D. Auguſt. citato *lib.* 5. *contra Julian. c.* 14. dicens: *Odor ab olfaciente diſcernitur, ſapor a guſtante, tactus a tangente plurima . . . In his omnibus, quando moleſta vitantur, ut putores, amaritudines, æſtus, frigora, & quæque aſpera, & dura, & gravia, commoditatis proviſio, non libido eſt voluptatis. Ea vero, quæ his contraria commode ſumimus, ſi nihil eorum intereſt ad ſalutem, vel ad declinandum dolorem, laboriſve moleſtiam, etiamſi cum aliqua ſumuntur delectatione, cum præſto ſunt; tamen cum abſunt, nulla ſunt deſideranda libidine . . . Quis enim, quantuſcumque ſit carnalis concupiſcentiæ caſtigator, ſi locum thymiamate intraverit odoratum, poſſit efficere, ut ei non ſuaviter oleat, niſi nares claudat; aut intentione vehementi alienetur a corporis ſenſibus? Sed nunquid cum inde fuerit egreſſus, id domi ſuæ, vel quacumque pergit, deſiderabit? Aut ſi deſideraverit, ſatiare debet iſtam libidinem?* Et infra: *Non ſolum ergo cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri, non propter exſaturandam libidinem; ſed propter tuendam ſalutem. Cum ergo natura quodam modo poſcit ſupplementa, quæ deſunt, non vocatur libido, ſed fames, aut ſitis. Cum vero ſuppleta neceſſitate, amor edendi animum ſollicitat, jam libido eſt, jam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum*. Advertendum etiam eſt, quod, ut aliquis dicatur non operari ob ſolam delectationem, non eſt neceſſe, ut eam actu referat in ulteriorem finem honeſtum; ſed ſatis eſt, ut eam virtualiter in illum referat. Quamobrem ſi aliquis, accedens ad menſam, non cogitet de conſervatione vitæ, ſed ſolum de cibi delectatione; non propterea peccat, quia talem delectationem propter vitæ conſervationem ſaltem virtualiter vult: niſi forte ob immoderatam concupiſcentiam delectationis ſuperflue cibum ſumit. Nam, ut ait S. Gregorius l. 30. Moral. cap. 18. alias 27. *Ea ſumenda ſunt, quæ naturæ neceſſitas quærit, & non quæ edendi libido ſuggerit*.

L. Tertium fundamentum eſt. Actus ex ſua ſpecie indifferentes, ut fricare manus ad depellendum frigus, deambulare ad perficiendam digeſtionem, & alia, quæ commoditatem naturæ reſpiciunt, nec bona moraliter ſunt: non enim fiunt ob honeſtatem virtutis, alias poſſent eſſe materia voti, quod eſt ridiculum; nec mala, alias eſſent materia ſufficiens confeſſionis; quod falſum eſſe ex eo conſtat, quia nemo, etſi delicatæ conſcientiæ, de iis ſe accuſat; ergo ſunt actus indifferentes.

LI. Confirm. primo. D. Hieronym. Epiſt. 89. modo 74. ad Auguſtinum: *Bonum* (inquit) *eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis naribus purgamenta projicere, ſputis rheumata jacere. Hoc nec bonum, nec malum eſt: ſive enim feceris, ſive non feceris; nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam*. Ubi ly *ſive feceris, ſive non feceris; nec Juſtitiam habebis, nec injuſtitiam*; denotat exercitium actionis, & conſequenter actionem in individuo; ergo S. Hieron. admittit actionem indifferentem in individuo.

LII. Confirmatur ſecundo. Datur voluntaria omiſſio in particulari, ſeu in individuo, indifferens, ut omiſſio actus boni non præcepti. Qui enim omittit audire Sacrum, quando non tenetur; nec laudem meretur, cum omittat actum bonum; nec meretur vituperium, cum non teneatur facere, quod omittit, ergo etiam dari poterit actus indifferens. Conſeq.

probatur. Tum a paritate rationis. Tum quia omnis omiſſio voluntaria includit aliquem actum voluntatis, ut ſupra diximus.

LIII. Reſpondeo, præfatos actus plerumque exerceri ſine advertentia, ac deliberatione; & eſſe opera mere naturalia, extra genus moris, nec proinde bona, aut mala. Quod ſi aliquando ex deliberatione fiant: aut ad aliquem honeſtum finem non ordinantur; & ſic ſunt moraliter mala: aut ordinantur vel actu, vel virtute ad finem honeſtum puta congruum, & moderatum levamen animi, vel corporis, & ſecundum rationis dictamen; & ſic ſunt moraliter bona: *Nam*, ut ait D. Th. hac q. 18. art. 9. ad 3. *hoc ipſum, quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem, vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis*. Nec tamen ſequitur, talia opera eſſe materiam congruam voti: quia votum debet eſſe de meliori bono; & quamvis ea exercere ſit bonum, ſæpe tamen ab iis abſtinere, mortificationis gratia, melius eſt; ſicut temperate veſci carnibus bonum eſt, a carnibus, tamen, ad carnem caſtigandam, abſtinere, eſt melius. E contra eadem opera, etſi abſque debito ordine facta, ordinarie non ſunt materia confeſſionis: quia communiter fiunt ſine deliberatione, ſolo impulſu naturæ, aut imaginationis. Si autem fierent deliberate, & pœnitens certus eſſet, ea ſe non ordinaſſe nec actu, nec virtute ad bonum finem; non eſſet magis ridiculum ea ſic facta confiteri, quam confiteri alios actus vanos, & ſermones otioſos.

LIV. Ad primam confirm. dico, S. Hieronymum loqui de actibus illis naturalibus ex ſua ſpecie conſideratis, ſecundum quam nec boni, nec mali ſunt, ſed indifferentes; ad differentiam obſervationum antiquæ legis (de quibus ibi loquitur) quæ ex ſua ſpecie fuerunt ſemper determinate, aut bonæ, aut malæ; bonæ ante Chriſti Adventum; malæ autem poſt Chriſti Adventum. Nec refert, quod dicat *ſive feceris, ſive non feceris*. Nam licet actus non fiant, niſi in ſingulari, & individuo: in actu tamen in individuo conſiderari poteſt, & id, quod convenit ex ſua ſpecie; & id, quod habet ex accidentibus, & circumſtantiis. Porro quamvis ratione circumſtantiarum non detur actus in individuo, qui ſit humanus, & indifferens: quia tamen ex ſua ſpecie indifferens eſt, bene poteſt dici, quod quantum ex ſpecie eſt, ſive feceris, ſive non feceris, nec juſte, nec injuſte facies, etſi ex fine, quem appoſueris, vel juſte egeris, vel injuſte. Dici etiam poteſt, S. Hieronymum loqui de præfatis actibus, ut plerumque exercentur, nempe naturaliter, & indeliberate, non vero de eis, ut interdum ex advertentia, & deliberatione fiunt.

LV. Ad ſecundam Confirm. nego ant. Voluntaria enim omiſſio actus boni non præcepti, aut eſt rationabilis, hoc eſt, ſecundum dictamen rectæ rationis; & ſic eſt bona: aut non eſt rationabilis; & ſic eſt mala. —— Nec dicas. Quod ad hoc, ut omiſſio imputetur ad culpam, oportet, ut omittat bonum, quod quis poterat, & debebat facere: nunc autem agitur de omiſſione boni non præcepti.

Nam quamvis in caſu bonum, quod omittitur, non ſimpliciter cadat ſub præcepto, ſed ſub conſilio, adeo ut poſſit prætermitti abſque peccato: eo ipſo tamen, quod deliberate omittitur, concurrit generale præceptum, quo (ut ſupra dictum eſt) homo deliberate agens, vel omittens, tenetur agere, vel omittere ſecundum dictamen rectæ rationis. Idem enim judicium eſt de omiſſionibus, quatenus ſunt voluntariæ, ac de actionibus. Propterea ſi quis omittat audire Sacrum ex fine rationabili, erit bona omiſſio: ſicut qui rationabiliter omittit ſtatum virginitatis, & contrahit matrimonium, bene facit ex Apoſt. 1. *Cor.* 7. Si vero omittat Sacrum deliberate ex deſidia, vel otioſitate, male facit. Unde D. Thom. 2. 2. *q.* 54 *art.* 3. aliquod negligentiæ veniale peccatum agnoſcit in prætermiſſione alicujus actus non neceſſarii ad ſalutem, quando hoc contingit ex defectu fervoris.

LVI. Quartum fundamentum eſt. Datur actus ex ſpecie ſua indifferens, ut diximus: ſed non poteſt dari aliqua ſpecies, cujus nullum ſit poſſibile individuum, cum omnis ſpecies in rerum natura dari poſſit; dari autem non poteſt, niſi in aliquo individuo, ergo &c.

LVII. Confirmatur. Quod convenit ratione ſpeciei, non poteſt tolli per aliquid ſuperveniens, niſi ſpecie ipſa deſtructa; ſed indifferentia, ut diximus, eſt vera ſpecies moralis; ergo ſi dantur actus aliqui ex ſpecie ſua indifferentes, non poſſunt per individuationem indifferentia privari, niſi eorum ſpecies deſtruatur.

LVIII. Reſpondeo, quod ſi hoc argumentum concludit, concludet, omnem actum ex ſpecie ſua indifferentem debere neceſſario eſſe indifferentem etiam in individuo; nec poſſe hanc indifferentiam ab eo tolli, niſi ejus ſpecies deſtruatur: & ſic, quod ambulare, quod ex ſpecie ſua indifferens eſt, ſemper in individuo ſit indifferens. Unde ſi quis deliberate ambulet ad Eccleſiam, ut ibi oret, vel ad domum meretricis, ut cum ea fornicetur; ambulatio illa ſemper ſit indifferens, nec bona in primo caſu, nec mala in ſecundo, niſi ſpecies ambulationis deſtruatur: & quod nullus actus ex ſpecie ſua indifferens, etſi fiat ob gloriam Dei, ſive ex charitate, ſit bonus, aut meritorius.

LIX. Dico ergo, majorem illam laborare in æquivoco. Cum enim dicimus, dari aliquos actus ex ſpecie ſua indifferentes; non ſic intelligimus, ut ex ſpecie ſua debeatur illis, quod ſint indifferentes, ſicut homini ex ſpecie ſua debetur, quod ſit rationalis: ſed quod ſicut homini ex ſpecie ſua non debetur, quod ſit albus, vel niger; ſed indifferens eſt indifferentia ſubjecti ad ſuſcipiendam, ſive albedinem, ſive nigredinem: ita aliqui actus dantur, qui ex ſpecie, & objecto ſuo non habent ſibi debitam bonitatem, vel malitiam; ſed indifferentes ſunt per modum ſubjecti alterutrum ſuſcipiendi ex circumſtantiis, quibus afficiuntur, dum in re ponuntur: Tantum enim abeſt, quod indifferentia ad bonum, & malum utrumque excludat: ut potius neutrum determinate dicat, ſed utrumque poſſit abſque ſui læſione permittere. Ita reſpondet Div. Thom. hac *queſt.* 18. *art.* 9. *ad* 1. his verbis: *Dicendum, quod aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſuam ſpeciem poteſt eſſe multipliciter. Uno modo ſic, quod ex ſua ſpecie debeatur ei, quod ſit indifferens: & ſic procedit ratio. Sed tamen iſto modo nullus actus ex ſpecie ſua eſt indifferens: non enim eſt aliquod objectum humani actus, quod non poſſit ordinari, vel ad malum, vel ad bonum per finem, & circumſtantiam. Alio modo poteſt dici indifferens ex ſua ſpecie, quia non habet ex ſua ſpecie, quod ſit bonus, vel malus: unde per aliquid aliud poteſt fieri bonus, vel malus. Sicut homo non habet ex ſua ſpecie, quod ſit albus, vel niger; nec tamen habet ex ſua ſpecie, quod non ſit albus, aut niger. Poteſt enim albedo, vel nigredo ſupervenire homini aliunde, quam a principiis ſpeciei*. Hinc

LX. Ad confirm. patet, non deſtrui ſpeciem actus, ex ſpecie indifferentis, dum in individuo determinate eſt bonus, vel malus; ſed ſolum deſtrui ſtatum indifferentiæ, & præciſionis, & trahi ad ſtatum determinationis in genere morali.

LXI. Quintum fundamentum eſt. Poteſt aliquis actus deliberate produci carens aliqua circumſtantia ei non debita, quia non præcepta, & tamen bona: ſed hic actus non erit bonus, quia carens ea circumſtantia bona, neque malus, quia circumſtantia, quæ deeſt, non eſt ei debita; ergo &c.

LXII. Ulterius: poteſt quis, ad exercendam unice ſuam libertatem, aliquem actum ex ſpecie indifferentem elicere, v. g. feſtucam levare: ſed hic actus non erit determinate bonus, vel malus; cum exercere propriam libertatem, determinate nec ſit bonum, nec malum; ergo erit actus indifferens.

LXIII. Reſpondeo ad primum, neg. min. Talis enim actus, ſi deſit ei aliqua circumſtantia debita, erit malus: ſi vero deſit aliqua circumſtantia non debita, quamvis bona, adhuc erit bonus. Ut enim ſit bonus, non requiritur, ut habeat omnes circumſtantias bonas, quæ poſſunt adeſſe, ſed eas tantum, quæ ſunt debitæ ex præcepto: inter quas potiſſima eſt circumſtantia boni finis, ut dictum eſt.

LXIV. Ad ſecundum reſpondeo, quod ſi aliquis ſemel, aut iterum, ut exerceat libertatem, & hoc ſolo fine, faciat actum ex ſpecie indifferentem; faciet actum bonum, & honeſtum: quia aliquando libertatem exercere, etiam circa actum ex objecto indifferentem, bonum eſt, ac honeſtum. Si vero ſæpe vellet ob eum dumtaxat finem operari; tales actus non eſſent boni, & honeſti, ſed otioſi, & mali: quia licet aliquando exercere libertatem circa actus indifferentes, bonum ſit, & rationi conſonum; ſæpius tamen hoc facere, nullam habet honeſtatem, ſed curioſitatem.

LXV. Sextum fundamentum eſſe poteſt. In Concil. Conſtantienſi anno 1415. proſcripta fuit *Seſſ.* 15. hæc Joannis Hus propoſitio, quæ eſt ſextadecima: *Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa*: atqui ſi non darentur actus indifferentes in individuo, illa propoſitio immerito proſcripta fuiſſet; ergo &c. Min. prob. Si enim non ſint actus humani indifferentes in individuo, quælibet humana opera erunt in individuo vel vitioſa, vel virtuoſa.

LXVI. Confirm. Ideo nullus eſſet actus indifferens in individuo, quia illicitum eſt ob voluptatem operari: ſed hoc eſt falſum: cum ad eam natura, maxime corrupta, inclinet; & Deus voluerit, voluptatem quoſdam actus, puta, eſum, vel potum comitari; ergo &c.

LXVII. Reſpondeo, neg. min. Ad prob. diſt. Erunt in individuo vel vitioſa, vel virtuoſa in ſenſu Catholico, conc. ant. In ſenſu hæretico, quo fuerat a Jo: Hus prolata, & a Concilio proſcripta, neg. ant. Propoſitio ergo illa fuit proſcripta, non abſolute, & in ſe, ſed in ſenſu, quo illam proferebat Jo. Hus: nempe, qui contendebat, omnia, quæ fiunt a peccatore, ſeu ab homine jacente in peccato mortali, eſſe peccata; quæ vero a juſto, omnia eſſe virtutis actus. Patet ex ratione, qua Jo. Hus utebatur, relata ab eodem Concilio poſt præfata verba: *Quia* (ajebat Hus) *ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſe; & ſi eſt virtuoſus & agat quidquam, tunc agit virtuoſe. Quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi: ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi*. Ex quibus ſequebatur aperta hæreſis; nempe, quod homo, dum eſt in ſtatu peccati mortalis, nihil poſſit agere boni, ſed in quolibet actu peccet; & juſtus nihil poſſit agere mali: cum fide Catholica certum ſit, & peccatorem elicere poſſe actus fidei, & ſpei, informes tamen, & aliqua opera moraliter bona: & e contra Juſtum poſſe venialiter peccare. Hoc autem locum non habet in ſententia negante, dari actus humanos indifferentes in individuo. Nam fatetur, peccatorem, ſi concupiſcentiæ non obſequatur, poſſe, & revera cum ſtatu peccati componere aliquos actus bonos: & juſtum poſſe, & revera componere cum ſtatu juſtitiæ actus venialiter malos.

LXVIII. Ad confirm. neg. min. Hoc enim axioma: *Licitum eſſe propter voluptatem operari*, erat doctrina Pelagianorum contendentium, voluptatem eſſe Dei inſtitutione bonam, & in benedictione permanſiſſe, ut ajebat Julianus apud D. Auguſtin. *lib.* 2 *de Nupt. & concup. cap.* 9. Et Innocentius XI. hanc propoſitionem damnavit: *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem: non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Cui Clerus Gallicanus anno 1700. hanc Cenſuram inuſſit: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, & ad ſcholam Epicuri ablegan da*. Ad id, quod addi-

tur,



tur, dico, naturam ſanam non inclinare hominem ad voluptatem, ſed corruptam; unde vitium naturæ eſt, non natura. Deus tamen voluit, ut quædam voluptas demulceret hominis ſenſus; ut quorumdam actuum, qui alioquin, aut ad vitæ conſervationem, aut ad propagationem neceſſarii ſunt, exercitio ſubſerviret: non vero, ut actus propter illam voluptatem exercerentur. Unde contra naturæ ſanæ inclinationem, & contra Dei ordinationem agit, qui in actibus deliberatis ſenſuum delectationem, tamquam ſui operis finem, ſibi proponit.

LXIX. Neque videatur aſperum, naturam fragilem, & ad bonum delectabilem propenſam, & in omni deliberato actu ſuo teneri ad finem honeſtum, & ad Deum reſpicere —— Nam, ut ſæpe diximus, homo dum eſt in via, non tenetur omnes actus ſuos deliberatos in finem honeſtum, & Deum actu referre; ſed ſat eſt; ut virtualiter referat, ideſt vi intentionis præcedentis: quæ ſi non fuerit abrupta, in omnibus actibus ſubſequentibus moraliter, & virtualiter perſeverat, quamvis operans de Deo, aut bono honeſto, actu, dum operatur non cogitet. Sunt enim actus humani talis naturæ, ut ſemel directi in Deum, jam de ſe, quaſi ſagitta in ſcopum, vel lapis in centrum, in eum tendunt, niſi detineantur: & veluti tota eſt voluntas humana, quæ ſemel ictu movente pulſata, otiante etiam manu, quæ illi motum impreſſit, curſum ſuum abſolvit. Verum ne tandem deficiat etiam virtute, actualem illam directionem ſæpius renovandam eſſe, monent S. Bonaventura in 2. *Sentent. diſt.* 41. *art.* 1. Bellarminus *l.* 5. *de Juſtific. cap.* 15. quibus ſubſcribit Eſtius in 1. *ad Corinth. cap.* 10. dicens. *Quo magis autem hujuſmodi intentio virtute maneat in actionibus noſtris quotidianis, frequenter actu renovanda eſt*.

LXX. Quæres tamen: An ſufficiat ad impletionem præcepti omnia referendi in Deum habitualis ordinatio; cum S. Thomas 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 2. hoc aſſerat?

LXXI. Reſpondeo negative. Neque oppoſitum docuit D. Thomas, ut diximus ſupra *Quæſt. de Ultimo fine, Dub.* 5. §. 1. *num.* 3. & 4. & ſequentibus: ubi oſtendimus, hominem deliberate operantem debere ſemper agere propter ultimum finem vel actu, vel virtute. Quod vero S. Doctor citato loco dicit, dum exponens dictum Apoſtoli 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*, ait: *Hoc præceptum eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper. Et ſic non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat ſe, & omnia ſua in Deum, ad hoc, quod non ſemper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter*: ſolum evincit, habitualem ordinationem actus ad Deum ſufficere ad non peccandum mortaliter, non vero ad non peccandum venialiter. Ibi enim agebat de diſtinctione peccati venialis a mortali; & dicit, peccatum veniale non tollere habitualem ordinationem ad Deum, cum non tollat charitatem: & juſtum peccantem venialiter non agere contra præceptum Apoſtoli, quia omnia ad gloriam Dei facit habitu, eſto non actu. Unde concludit; *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, ſed ſolum actualem; quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum. Unde non ſequitur, quod ille, qui peccat venialiter, peccet mortaliter*. Monitum tamen volo Candidatum meum, apud D. Thomam ly *habitualiter* aliquando idem ſignificare, ac *virtualiter*. Nam 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *ad* 3. dicit, intentionem habitualem miniſtri ſufficere ad Sacramentum: ubi certe intelligit intentionem virtualem, quod patet ex modo explicandi eam; ait enim: *Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*: quæ certe eſt intentio virtualis eo modo, quo nos explicamus.

## DUBIUM VII.

*An bona Intentio ex prava Electione vitietur; & prava Electio ex bona Intentione rectificetur; vel ſaltem ejus Pravitas minuatur.*

### §. I.

*Reſolutio primæ Partis.*

I. TRia hic examinanda proponimus. Primum; an actus intentionis, qui ex ſe, & ex proprio objecto foret bonus, ex eo, quod ſit cauſa electionis pravæ, ſeu medii pravi, evadat malus, & vitietur. Seu: an cum quis ex intentione efficaci dandi eleemoſynam eligit furari, ut eleemoſynam tribuat; ex electione talis medii, nempe furti, intentio illa fiat mala, & vitietur. Secundum: an intentio boni finis poſſit aliquando totaliter auferre malitiam electionis pravi medii; puta, an ſi ad tuendam vitam proximi eligatur mendacium; electio iſta ex illo bono fine evadat bona: vel; an virgo, ut invaſorem ſuæ pudicitiæ effugiat, poſſit abſque peccato ſe præcipitare in flumen; vel ſibi manus violentas inferre. Tertium; an ſuppoſito, quod malitia pravæ electionis ex intentione boni finis totaliter non auferatur, ſaltem minuatur: ita ut mendacium ex intentione tuendi vitam proximi; vel furtum electum ex intentione dandi eleemoſynam ſit minus grave, quam ſi abſque tali intentione committeretur.

II. Dico primo. Quando intentio boni finis per ſe influit in pravam electionem, ab ea vitiatur: ſecus tamen ſi per accidens tantum, & malitia eligentis cum ea conjungatur. Explico hoc aſſertum. Qui non habens unde faciat eleemoſynam, niſi ex alienis, eam efficaciter dare intendit, & eligit furtum, vitiat intentionem: quia ex tali intentione per ſe, & neceſſario ſequitur furtum, ſeu acceptio rei alienæ, & illa intentio eſt per ſe ratio volendi furtum; ideoque eſt inordinata, & perverſa. Qui vero habens bona propria efficaciter intendit dare eleemoſynam, etiamſi ut illam det, poſtea furetur, non vitiat intentionem; quia furtum non ſequitur per ſe ex tali intentione, ſed per accidens ei conjungitur ex prava voluntate, & malitia operantis: quia cum poſſet dare eleemoſynam ex propriis, eam dare voluit ex alienis.

III. Prior ergo pars hujus aſſerti probatur. Quando enim intentio per ſe influit in pravam electionem, ſe habet ut ratio illius pravæ electionis, & cauſa volendi illud medium illicitum: ſed quod eſt ratio, & cauſa malæ electionis, vitiatur malitia ejus; quod enim influit in peccatum, & trahit voluntatem ad illud, malum eſſe debet.

Nec refert, quod intentio ſit de objecto, & fine bono. Nam actus humani, ut ſint boni, debent eſſe boni non ſolum ex objecto, & fine, ſed ex hominis parte debent eſſe boni: quilibet enim ſingularis defectus deſtruit bonitatem, & ponit malitiam; bonum autem cauſatur ex tota & integra cauſa, ut ait Div. Thom. hic *quæſt.* 19. *art.* 7. *ad* 3. atqui dum quiſpiam ſic intendit bonum finem, ut illum conſequi velit per medium illicitum, iſti ejus intentioni deeſt una bonitas, nimirum bonitas medii ad finem proportionati; ergo illa intentio non eſt ſimpliciter bona.

IV. Confirm. Ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 8. *art.* 3. & *quæſt.* 12. *art.* 4. unus & idem motus voluntatis eſt, quo fertur in finem, ſecundum quod eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem, & quo fertur in ea, quæ ſunt ad finem: ſed dum quis intendens dare eleemoſynam ex hac intentione eligit furari, intentio eleemoſynæ eſt ei ratio volendi furtum, & eodem motu fertur ad furtum, quo ad eleemoſynam; ergo ſi, dum fertur ad furtum, motus ille vitioſus eſt, vitioſus erit quoque, dum ad eleemoſynam terminatur. Quapropter electio mali medii ſemper vitiat, & malam reddit intentionem boni finis, quando ipſamet intentio eſt ratio appetendi malum medium; ſive quia unicum, ſive homo talem finem intendens, iſtud eligit præ aliis. Unde bene dicit S. Bernardus l. de Præcepto, & diſpenſatione cap. 14. *Ut interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem*.

V. Accedit; quod, ut intentio ſit bona, debent omnes circumſtantiæ eſſe bonæ; una enim circumſtantia mala ſatis eſt ad actum vitiandum. Sed cum aliquis ex intentione dandi eleemoſynam furatur, furtum eſt circumſtantia illius intentionis; cum enim ſit effectus illius, eſt circumſtantia *Quid*: & cum inſuper ſit medium, cujus ope utitur ad finem illum conſequendum, eſt circumſtantia *Quibus auxiliis*. Cum ergo furtum ſit circumſtantia mala, vitiat intentionem —— Nec obſtat, quod electio talis medii, nempe furti, non de neceſſitate ſequatur intentionem dandi eleemoſynam. Ut enim quidquam ſit circumſtantia alicujus actionis, non requiritur, ut neceſſario illi conjungatur, cum circumſtantia potius ſit accidentaria actui; ſed ſufficit, ut ex voluntate operantis adſit.

VI. Sed objicies primo. Intentio finis ſecundum ſe eſt prior electione: ergo non ſumit malitiam ex iſta, quia prius non dependet a poſteriori.

Reſpondetur ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 8. *artic.* 3. quod *Voluntas in ipſum finem dupliciter fertur. Uno modo abſolute, & ſecundum ſe: alio modo ſicut in ratione volendi ea, quæ ſunt ad finem*. Eſto autem primo modo intentio finis prior ſit electione, non tamen ſecundo modo: immo eodem motu, quo voluntas fertur in finem, ut eſt ratio volendi media, fertur etiam in ipſa media, ut docet D. Thomas ibi. Sicut eodem actu, quo quis attingit principia, ut ſunt ratio concluſionis, attingit quoque concluſionem. Vel etſi intentio finis ſit diſtinctus actus, & prior electione, eſt tamen cauſa virtualiter continens electionem: ideoque ſi eſt vitium in electione, erit vitium in intentione.

VII. Sed dices. Ita ſe habet finis in operabilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus; ſed falſitas concluſionis non corrumpit veritatem principiorum; ergo nec malitia electionis corrumpit bonitatem intentionis.

Reſpondetur primo, inſtantiam retorquendo ſic: Sic ſe habet finis in operabilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus: ſed falſitas concluſionis arguit falſitatem principii, ex quo per bonam conſequentiam deducitur, cum ex vero non poſſit ſequi, niſi verum; ergo malitia electionis arguit malitiam in intentione, ſi ex intentione finis ſequatur electio.

Reſpondetur ſecundo aſſignando diſcrimen. Nam veritas principiorum nullo modo dependet a veritate concluſionis, ſed e converſo. At bonitas finis, ut voliti, cum pendeat a mediis in ſui conſecutione, & intentio ut ſit bona pendeat a bonitate electionis mediorum; quia intentionis bonitas non ſolum ab objecto petenda eſt, ſed etiam a reliquis circumſtantiis, inter quas ſunt media: ideo electio mediorum prava refundit pravitatem in intentionem.

VIII. Objicies ſecundo. Intentio dandi eleemoſynam etiam ex furto, eſt in ſpecie miſericordiæ: tali enim eleemoſyna vere ſublevatur aliena miſeria, & impletur præceptum dandi illam, ſi inſtet; ergo talis intentio eſt bona.

Reſpondeo, neg. antec. Sublevatio enim alienæ miſeriæ, ut pertineat ad virtutem miſericordiæ, debet fieri bene, ſecundum rationis ordinem, & ut decet: ratio autem recta non

dictat,

dictat, ut ad alienam miſeriam ſublevandam, fiat damnum alteri. Quare qui ſic operatur, non facit actum miſericordiæ formaliter, ſed injuſtitiæ. Quod vero per talem actum impleatur materiale præcepti dandi eleemoſynam, ſi ineſt, hoc inde eſt; quia ſunt quædam præcepta, quæ non obligant; niſi ad ſubſtantiam actus, non modum, & ſic adimpleri poſſunt per actum bonum ex objecto, etſi aliqua mala circumſtantia vitiatum.

IX. Secunda vero pars Aſſerti probatur. Quia quando intentio per ſe non influit in electionem medii pravi, quod tale medium eligatur, non provenit ex vi ipſius intentionis, quæ illud non exigit, nec ad illud determinat voluntatem; ſed malum medium procedit ex pravitate voluntatis illud eligentis; ergo talis electio non vitiat priorem intentionem. Quemadmodum cum, ex defectu arguentis, ex principio vero deducitur falſa concluſio, falſitas concluſionis non arguit falſitatem principii; ſed defectum illius, qui male applicat tale principium.

X. Hinc ſi intentio boni finis, vel ordine temporis antecedat electionem pravi medii, vel ſit ſimplex volitio, nullum dicens ordinem ad media; vel ſi dicat, ea reſpiciat ſolum in confuſo, nullum autem in particulari; ſic intentio boni finis poteſt eſſe bona, quamvis ſubſequens electio pravi medii ſit mala, Et in hoc ſenſu exponendus eſt D. Th. quando in 2. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 5. dicit, poſſe eſſe electionem malam, & intentionem bonam: loquitur enim de electione, quæ per accidens ei conjungitur ab eligente, non quæ ex ipſa intentione per ſe cauſatur. Unde ibi ad 1. dicit: *Quod quando aliquis vult malum propter bonum, illud bonum non eſt finis actus voluntatis ſecundum ſe conſiderati: ſed eſt finis a voluntate inordinate præſtitutus*. Et clarius diſt. 40. q. 1. art. 2. ad 3. *Ad bonitatem rei non ſolum exigitur bonitas finis ultimi, quam reſpicit voluntas intendens; ſed etiam bonitas finis proximi, quem reſpicit voluntas eligens: & ideo non ſequitur, quod bonitas voluntatis intendentis ad bonitatem actus ſufficiat*. Quibus utramque partem præſentis Aſſerti confirmat.

XI. Nec dicas. Electio prava, quomodocumque ſubſequatur intentionem, in hac reduci debet, quia non poteſt eſſe electio niſi virtute intentionis; ergo ſi electio eſt mala, vitiat ſemper intentionem.

Nam Reſpondeo, vel quod cum poſt intentionem bonam eligitur pravum medium, hoc non ſit virtute illius intentionis bonæ jam præteritæ: ſed tunc formaliter, vel virtualiter alia intentio ſuccedit influens in illam electionem malam; & vi cujus ad illam, ſaltem quoad exercitium homo movetur. Vel ſi priori intentione bona adhuc manente virtualiter, ſequitur prava electio; hoc non eſt ex vi illius intentionis, ſed ex abuſu illius, & malitia hominis eam applicantis ad malam electionem. Sicut ſi quis actum eleemoſynæ rite factum poſtea ordinet ad inanem gloriam, non vitiatur talis actus; quia hoc ex malitia ordinantis eſt, non ex ipſa eleemoſyna.

## §. II.

*Reſolutio ſecundæ, & tertiæ Partis.*

XII. Dico ſecundo. Intentio boni finis non aufert a prava electione malitiam: unde ea, quæ ſunt intrinſece mala, ut mendacium, furtum, &c. ex nullo bono fine honeſtari poſſunt. Contrarium ſenſerunt olim Priſcillianiſtæ hæretici (ſic dicti a Priſcilliano Abilæ Civitatis Hiſpaniæ Epiſcopo circa annum 388. hæreſis auctore) qui, ne eorum obſcæna dogmata aliis extra eorum ſectam innoteſcerent, diſcipulos ſuos inviolabili ſecreto adſtringebant; aſſerentes, licitum eſſe mendacium, immo & perjurium. De quibus S. Aug. *L. de Hæreſ. c.* 70. ait: *Propter occultandas contaminationes, & turpitudines ſuas, habent in ſuis dogmatibus & hæc verba*: Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Hi ergo aſſerebant, licitum eſſe mentiri, & maxime ob bonum finem; & tueri ſe conabantur exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, ipſius Chriſti. Ita S. Aug. *l. contra Mendacium ad Conſentium cap.* 2. dicens: *Priſcillianiſtarum eſt enim .... iſta ſententia: cui comprobandæ adhibent teſtimonia de Scripturis, exhortantes ſuos ad mentiendum, tamquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum; non dubitantes addere etiam ipſum Dominum Chriſtum: nec ſe aliter arbitrantes veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi Veritatem dicant eſſe mendacem*. Inde eos redarguens dicit, quod ſi licitum eſſet mentiri ob bonum finem, male feciſſent Martyres, qui confitendo fidem tyrannos fecerunt homicidas, cum poſſent, mentiendo, eos a tali ſcelere avertere. *Quæ ſententia* (inquit) *Sanctos Martyres exhonerat, immo vero aufert ſancta omnino Martyria. Juſtius enim, ſapientiuſque facerent, ſecundum iſtos, ſi perſecutoribus ſuis non ſe confiterentur eſſe Chriſtianos, ne eos ſua confeſſione facerent homicidas: ſed potius mentiendo, & negando quod erant, & ipſi ſalvum haberent carnis commodum, cordiſque propoſitum, & illos conceptum animo ſcelus implere non ſinerent*.

XIII. Probatur ergo primo celebri S. Auguſtini dicto *l. contra Mendacium c.* 7. nimirum: *Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat: ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt*. Quod ita explicat. Ea enim nunc bona ſunt, ſi cauſas habuerint bonas; nunc autem mala, ſi cauſas habuerint malas, *quæ non ſunt per ſeipſa peccata*. Si victum præbere pauperibus, ſi ſit cauſa miſericordiæ cum recta fide, bonum eſt: ſi fiat cauſa jactantiæ, malum. Sic concubitus conjugalis, ſi fiat cauſa generandi, ſi ea fide fiat, ut gignantur regenerandi, bonus eſt: ſi vero cauſa laſciviæ cum uxore concumbitur, aut filii generantur, non ut Deo, ſed Diabolo nutriantur, malum eſt. Inde ſubdit: *Cum vero jam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemia, vel cætera talia; quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, ut vel peccata non ſint, vel, quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint? Quis eſt, qui dicat, ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus; aut teſtimonia falſa vendamus, maxime ſi non inde innocentes læduntur, ſed nocentes potius damnaturis judicibus eruuntur?* Et infra; *Quis iſta dicat; niſi qui res humanas, omneſque conatur mores, legeſque ſubvertere? Quod enim ſceleratiſſimum facinus, non dicatur poſſe fieri recte, atque juſte, nec impune tantum, verum etiam glorioſe .... ſi ſemel conceſſerimus, in omnibus malis operibus hominum, ideo non quid fiat; ſed quare fiat, eſſe quærendum; ut quæcumque propter bonas cauſas facta inveniuntur, nec ipſa mala eſſe judicentur?* Inde pergit oſtendens, eum qui furatus eſt, ut daret eleemoſynam pauperi, vel falſarium, qui ideo corrupit teſtamentum, ut ille hæreditatem obtineret, qui facturus eſſet eleemoſynas largas, vel non eſſe puniendum; vel ſi puniretur, puniendus eſſet propter opus bonum. Mitto alia: quæ acute S. Doctor proſequitur.

XIV. S. Auguſtino ſubſcribit fidelis ejus diſcipulus S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. ubi de mendacio loquens, *Quod* (inquit) *eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc, quod aliquid ſit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa: malum vero eſt ex ſingularibus defectibus, ut Dionyſius dicit* 4. *c. de Divin. Nomin. Mendacium autem eſt malum ex genere: eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente*. Quare ſuperius *q.* 69. *art.* 1. docuerat, reo accuſato non licere veritatem negare, per quam condemnaretur. Et *art.* 2. nec licere calumnioſe ſe defendere falſitate, fraude, vel dolo: quia ad finem licitum non poteſt per vias illicitas perveniri; licere tamen, veritatem tacendo, quam confiteri non tenetur. Et *q.* 70. *art.* 4. docet, falſum teſtimonium ſemper eſſe peccatum. Et *q.* 64. *art.* 5. negat, quacumque ex cauſa licere ſeipſum occidere, contra errorem illorum de grege Donatiſtarum, qui vocati ſunt *Circumcelliones*, de quibus S. Auguſt. *l. de hæreſ. cap.* 69. quod *Per mortes varias, maximeque præcipitiorum, & aquarum, & ignium, ſeipſos necare conſueverunt*. Quæ omnia ex illo principio firmantur ab Auguſtino ſtatuto: nempe, quod ex ſe, hoc eſt, ex genere, & natura ſua malum eſt, nullo fine, nullave circumſtantia poteſt fieri bonum, & licitum; ergo electio prava, ſeu pravi medii, nulla bona intentione, aut bono fine poteſt rectificari, ac excuſari.

XV. Dico tertio. Intentio boni finis minuit malitiam pravæ electionis. Ita S. Auguſt. laudato *l. contra Mendac. c.* 8. his verbis: *Dicet aliquis: ergo æquandus eſt fur quilibet ei furi, qui miſericordiæ voluntate furatur: Quis hoc dixerit?* Cui reſpondet: *Sed horum duorum non ideo eſt quiſquam bonus, quia pejor eſt unus: Pejor enim eſt, qui concupiſcendo, quam qui miſerando furatur. Sed ſi furtum omne peccatum eſt, ab omni furto eſt abſtinendum*. Ubi quamvis peccare dicat eum qui miſerendi cauſa furatur; pejus tamen peccare dicit eum, qui concupiſcendo furatur; ergo intentio boni finis, etſi non excuſet, minuit tamen malitiam. Quare *cap.* 10. ponderat factum Loth, qui, ne Sodomitæ hoſpitibus ſuis Angelis abuterentur, filias ſuas tradidit proſtituendas: & quamvis Loth a peccato excuſare non audeat, maxime, ſi propria voluntate, non ſuperiori inſtinctu, ad hoc ductus fuit; ejus tamen peccatum minuere videtur; quia ad evitandum majus malum hoc fecit. Unde D. Th. *quæſt.* 1. *de Malo art.* 5. *ad* 14. dicit, quod Loth *oſtendit ordinem eſſe ſervandum in fuga culparum: quia tolerabilius eſt, ſi quis committit minorem culpam, quam majorem*. Et S. Auguſt. *lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 43. eſto concubitum filiarum Loth cum patre ſuo a flagitio liberet: minus tamen eas peccaſſe dicit, quod hoc fecerunt ad conſervationem humani generis, quod totum periiſſe incendio Sodomorum exiſtimarunt, quam ſi ex ardore libidinis id feciſſent. Unde ait: *Multum intereſt, quod ea cauſa uſæ ſunt, quam ſi concupiſcentia tam funeſtæ voluptatis uterentur*. Quare S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. docet, mendacium, quod aſſumitur ut utile ad impediendum malum corporis, vel animæ minui in ratione culpæ: quia, *quanto bonum intentum eſt melius, tanto magis minuitur culpa mendacii*.

XVI. Probatur etiam ratione. Primo. Quia qui furatur, ut pauperi miſereatur, habet voluntatem minus deordinatam, & affectam peccato: quia non reſpicit furtum, ut in ſe malum eſt; ſed ut ex ordine ad finem pietatis aliquam ſpeciem boni honeſti exiſtimat, licet falſo, illud induere. Secundo. Quia furtum ab eo eſt minus volitum; cum non ſit volitum propter ſe, ſed tantum propter aliud, in quod ultimate tendit. & a quo primo movetur: malitia autem moralis minuitur, cum minuitur ratio voluntarii. Tertio. Quia ſicut circumſtantia aggravat peccatum, ita illud minuit: ſed intentio finis eſt una ex circumſtantiis; ergo &c.

XVII. Sed dices primo. S. Auguſtinus *Homil.* 27. *inter quinquaginta*, relatus a Gratiano 14. *quæſt.* 5. *cap. Forte*, ait: *Hæc cogitatio: volo furari a divitibus: ut dem pauperibus, Diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat pauperibus quod abſtulerit, auget potius peccata, quam minuat*.

XVIII. Reſpondeo, Homiliam illam non eſſe Auguſtini, ſed alterius, qui eam excerpſit ex *Serm.* 29. *de Verbis Apoſtoli*, in quo prælata verba non reperiuntur, quæ certe ſunt doctrinæ S. Auguſtini contraria; qui *libr. contra Mendac. cap.* 8. citato ait: *In ſuo quippe genere aliis ejuſdem generis peccatis leviora ſunt, quæ bono animo videntur admitti... Gravius enim eſt avaritia, quam miſericordia furtum facere; itemque ſtuprum gravius eſt luxuria, quam miſericordia penetrare*. Et tamen, cujuſcumque ſit, admiſſa, dici poteſt, hæc verba *auget* (ſeu verius *addit*) *peccata ſua, quam minuat*, non eſſe intelligenda de gravitate, ac ſi gravius ſit furari ob dandam eleemoſynam, ſed de numero peccatorum; quia qui furatur, ut det pauperi, non ſolum non facit opus bonum, ſed addit aliis peccatis ſuis peccatum furti: & contra eos, qui exiſtimabant, licitum eſſe furari ad dandam eleemoſynam, & facere mala, ut eveniant bona.



XIX. Dices ſecundo. Omnis finis eſto bonus ſecundum ſe, ut tamen movens efficaciter ad malum medium, vitiatur, & ſit malus, ut §. 1. vidimus; ergo non minuit malitiam.

Confirmatur. Qui furatur ut det eleemoſynam, bis peccat, nimirum, male eligendo, & male intendendo; ergo auget malitiam, non minuit.

XX. Reſpondeo, quod intentio eleemoſynæ, licet ex circumſtantia mali medii, nempe, furti, fiat in individuo mala; ex objecto tamen, & ſecundum ſe eſt bona: & ex hac parte per accidens minuit malitiam furti. Tum quia reddit furtum minus voluntarium: tum quia minus malum eſt furari ad dandum pauperibus, quam furari ad dandum meretrici, & fornicandum.

XXI. Ad confirm. nego ant. Ubi enim eſt unum malum ſolum propter alterum, ſolum eſt unicum malum. Quare cum boni finis intentio ſit mala ſolum propter electionem mali medii, non ſunt ibi duæ malitiæ, ſed unica. Sed dato etiam, quod bis peccaret, quia ſcilicet peccaret, contra duas virtutes diſparatas; ut qui furaretur, ut Sacrificium offerret, qui peccaret contra juſtitiam, & contra Religionem; non inde ſequeretur, quod eſſet majus peccatum. Qui ſemiebrius committit homicidium, plura peccata facit, quam qui plene ſui compos illud committit; neque tamen gravius peccat. Et mulier, quæ fornicatur, ut indigentiæ parentum ſuccurrat, non peccat tam graviter, quam ſi ex libidine fornicaretur.

XXII. Dices tertio. Si aliquis ex malo fine eligat medium bonum, ut ſi ex intentione fornicandi cum muliere, eligat dare illi eleemoſynam; ex bonitate talis medii non minuitur, ſed potius augetur peccatum pravæ intentionis; ergo ab oppoſito ſi quis ex bono fine eligat medium pravum, ex bonitate talis finis non minuitur, ſed potius augetur peccatum pravæ electionis: ſicut enim finis eſt circumſtantia electionis; ita medium eſt circumſtantia intentionis.

XXIII. Reſpondeo, neg. conſeq. Et diſcrimen eſt: quia finis eſt circumſtantia *Cur*, movens voluntatem ad eligendum, & cauſa, ſeu ratio eligendi; voluntas enim non eligit medium, niſi ex amore finis: quare ſi finis intentus ex objecto ſit bonus, ex bonitate finis malitia pravæ electionis minuitur: quia minuitur voluntarium; quia pravum illud medium non ſit volitum propter ſe, ſed propter illum finem. At medium, ſeu electio, eſt circumſtantia *Quid*, ſe habens reſpectu intentionis, ut effectus, ut conſequens ad ipſam, volita propter ipſam: unde non influit in intentionem, ſed e contra. Et ideo ſi intentio ſit prava, tota malitia intentionis redundat in ipſum medium, tamquam in ejus effectum, & totam ejus bonitatem deſtruit.

XXIV. Replicabis. Si intentio boni finis minuit malitiam electionis; ergo ex melioris finis intentione magis minuitur, ac tandem ex intentione finis optimi tota extinguetur: hoc autem eſt falſum; cum electio rei malæ nunquam poſſit eſſe bona, niſi adeſſet ignorantia invincibilis; ergo &c.

Reſpondeo, neg. ultimam partem conſequentiæ. Quod enim malitia medii pravi minuatur ex intentione finis boni, non provenit ex eo, quod medium pravum accipiat aliquem gradum bonitatis ex fine bono; quod enim per ſe malum eſt, nulla ratione, aut circumſtantia poteſt fieri bonum: ſed dicitur minui ejus malitia, partim quia minuitur voluntarium: partim quia habet unam ex principalibus circumſtantiis bonam. Unde etſi finis intentus ſit optimus; quia tamen medium ſemper eſt malum, & voluntarie electum, nunquam tota ejus malitia poteſt extingui.

## §. III.

*Solutio eorum, quæ militant contra ſecundam Aſſertionem: ubi etiam oſtenditur, nullo bono fine licitum eſſe mentiri; aut ſeipſum occidere, vel alios auctoritate privata.*

XXV. Non pauca ſunt, quibus olim aliquibus viſum fuit licitum, aſſumere malum medium ad bonum finem. Primo occurrunt ea, quibus Priſcilianiſtæ tuebantur, exemplis veterum Patriarcharum, & aliorum mendacia ob finem bonum prolata non eſſe peccata. Primo. Abraham, qui Geneſ. 20. ne Pharao & Abimelech abuterentur Sara uxore ſua, dixit eſſe ſororem ſuam: & tamen non peccavit, ut dicunt S. Auguſt. *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 34. & 35. & S. Chryſoſt. *Homil.* 52. *ſuper Geneſ.* quia id fecit ad ſalvandam propriam vitam.

Secundo. Jacob *Geneſ.* 27. mentitus eſt patri ſuo dicens, ſe eſſe primogenitum ejus Eſau: qui tamen ſolum ob intentionem bonam excuſari poteſt; quia ſcilicet, hoc dixit ad reportandam paternam benedictionem.

Tertio. Obſtetrices Ægyptiæ mentitæ ſunt Pharaoni *Exodi* 1. *ver.* 19. dum dixerunt ei, mulieres Hebræas obſtetricandi ſcientiam habere, & priuſquam venirent ad eas, parere: quæ tamen non peccarunt; quia ad ſalvandam vitam Hebræorum infantium hoc dixerunt, ideoque Deus eas remuneratus eſt: Deus autem pro peccato punit, non præmiat.

Quarto. Judith *cap.* 11. multa mendacia protulit Holoferni: quæ tamen ob bonum finem liberandi populum ſuum excuſatur.

Quinto. David pluries mentitus eſt. 1. *Reg. cap.* 20. *ver.* 6. rogat Jonatham, ut dicat Sauli, ſe profectum in Bethlehem, quod tamen falſum erat, *cap.* 21. dicit ad Achimelech Sacerdotem, ſe miſſum ſecreto a Saule, quod verum non erat. Et *cap.* 27. *ver.* 10. Regi Achis dicit, ſe irruiſſe contra meridiem Judæ; cum tamen ageret prædas de Amalecitis.

Sexto. Eliſeus 4. *Reg.* 6. *ver.* 19. militibus a Rege Syriæ ad eum comprehendendum miſſis, ait: *Non eſt hæc via, neque iſta eſt Civitas*; eoſque fefellit ducens in Samariam.

Septimo. Tobiæ 5. *ver.* 18. *Ego ſum* (inquit Angelus) *Azarias Ananiæ Magni filius*.

Octavo, Amos *cap.* 7. *ver.* 14. negavit ſe eſſe Prophetam, aſſerens ſe armentarium vellicantem Sycomoros. Et Michæas *cap.* 2. *ver.* 11. optat loqui mendacium.

Nono. Paulus *Act.* 23. *ver.* 5. ait, ſe neſciſſe, illum eſſe ſummum Pontificem, cui maledicebat; cum tamen ſciret.

XXVI. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad 1. nego Abraham fuiſſe mentitum, cum dixit, Saram eſſe ſororem ſuam: erat enim vere ſoror ex parte patris, quamvis non ex parte matris. Ait enim Gen. 20. ver 12. *Alias autem, & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: & duxi eam in uxorem*. Ita ſe excuſavit Abraham coram Abimelech. Quod autem antea tacuit uxorem ſuam eſſe, non fuit mentitus. *Neque enim* (ait Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 34.) *utrum uxor ejus eſſet, interrogatus, non eſſe reſpondit: ſed cum ab eo quæreretur, quid ei eſſet illa mulier, indicavit ſororem, non negavit uxorem: tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falſi*.

Quod dicit etiam *Lib. contra Mendac. cap.* 10. & S. Thom. 2. 2. *qu.* 110. *art.* 3 *ad* 3.

XXVII. Ad ſecundum nego, Jacob fuiſſe mentitum, cum dixit patri: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Et quia primogenita Eſau jure illi debebantur; unde ſe dixit Eſau non perſona, ſed jure: ſicut Joannes Elias erat ſpiritu, eſto non perſona, ut ait Div. Greg. *Homil.* 7. *in Evangelia*: & ideo Chriſto affirmante, eum eſſe Eliam, Joannes dicere potuit: *Non ſum Elias*, quia quod Chriſtus affirmabat de ſpiritu, hoc Joannes negabat de perſona. Et quia Jacob non litteraliter loquebatur, ſed tropice, ac figurate, ut ſentit S. Auguſt. *lib. contra Mendac. cap.* 10. citato dicens: *Jacob autem quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, ſi diligenter, & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium*. Figurabat enim in ſe ipſo populum gentium, qui licet tempore in fide poſterior, erat tamen populo Judaico, eſto majori figurato in Eſau, in fide præferendus; ut docet etiam S. Thomas 2. 2. *qu.* 110. *art.* 3. *ad.* 3. ubi etiam hanc ſtatuit regulam: *Quod in Scriptura Sacra, ut Auguſt. dicit* (lib. de Mendacio cap. 5.) *inducuntur geſta, quaſi exempla perfectæ virtutis, de quibus non eſt æſtimandum, eos fuiſſe mentitos: ſi qua tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videntur; intelligendum eſt, ea figuraliter, & prophetice dicta eſſe*.

XXVIII. Ad tertium reſpondet D. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 2. *Quod obſtetrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua proceſſit mendacium. Unde ſignanter dicitur Exod.* 1. 1. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit illis domos. *Mendacium vero poſtea ſequens non fuit meritorium*. Et D. Auguſt. lib. contra Mendac. cap. 15. *Sed quod* (inquit) *ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Rahab Hiericuntina meretrice; non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt; ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum, abſurdumque non eſſet, ſi alio prius tempore commiſſa ab eis aliqua opera mala, Deus propter poſteriora opera bona vellet ignoſcere: ita mirandum non eſt, quod uno tempore in una cauſa Deus utrumque conſpiciens, ideſt factum miſericorditer, factumque fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc bonum, malum illud ignovit*. Quæ D. Auguſtini doctrina eſt bene attendenda.

XXIX. Ad quartum dico, vel Judith fuiſſe mentitam; ſed in hoc non laudari; Vel ejus verba, ſi bene ab Holoferne perpenſa fuiſſent, in aliquo ſenſu fuiſſe vera, ſive litterali, ſive myſtico. Utramque reſponſionem tradit D. Thomas citato loco ad 3. his verbis: *Quidam vero commendantur in Scriptura, non propter perfectam virtutem, ſed propter quamdam virtutis indolem, ſcilicet, quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad aliqua indebita facienda: & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita eſt Holoferni; ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi, pro qua periculis ſe expoſuit. Quamvis etiam dici poſſit, quod verba ejus veritatem habent ſecundum aliquem myſticum intellectum*. Ex quo colligitur, quod ſi Judith mentita fuit, ejus mendacia fuerunt levia & officioſa in populi Iſraelitici ſalutem ordinata.

XXX. Ad quintum dico, Davidem officioſe fuiſſe mentitum. Neque enim præjudicium fit ſanctitati viri, ſi aliquando in mendacium incidiſſe concedatur: ut etiam confitetur ipſemet David Pſ. 115. v. 11. *Omnis homo mendax*. Cui correſpondet dictum 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Neque mendacium, quod narratur cap. 21. ex quo poſtea ſecuta eſt cædes Achimelech, & omnium Sacerdotum, ut legitur *cap.* 22. *ver.* 18. fuit perniciosum; maxime cum David ipſe *ver.* 22. dicat filio Achimelech: *Ego ſum reus omnium animarum patris tui*. Etenim mendacium illud, & factum Davidis fuit quidem

dem occaſio illius cædis ſecutæ, ſed non cauſa: nec enim ipſe prævidere poterat, Saulem adeo ſævam ultionem ſumpturum. Dixit tamen, ſe reum eſſe illius; quia forte cognovit imprudentiam ſuam, qua, præſente Doeg (qui omnia poſtea nunciavit Sauli) induxit Achimelech ad ſibi concedenda omnia, quæ petierat: ex quo timebat, ne Saul occaſionem ſumpſiſſet, Achimelech, & omnes Sacerdotes interficiendi.

XXXI. Ad Sextum dico, Eliſeum dicentem militibus Regis Syriæ: *Non eſt hæc via, neque iſta eſt Civitas*, verum dixiſſe. Quia fieri debet hic ſenſus: non eſt hæc via, neque iſta eſt Civitas, in qua inventuri eſtis Eliſeum, quem quæritis, Nam eſto tunc Eliſeo loquerentur, quia tamen cæcitate percuſſi eum non videbant, profecto non ibi inveniebant; ſed demum poſtea in Samaria viderunt, & invenerunt.

XXXII. Ad Septimum dico, Angelum verum dixiſſe. Quia enim loquebatur ſecundum ſimilitudinem perſonæ, quam aſſumpſerat, vere dicere poterat: ego ſum, ideſt, gero perſonam Azariæ filii Ananiæ magni; ſicut qui gerit imaginem Cæſaris, Cæſar dici poteſt.

XXXIII. Ad octavum dico, Amos verum dixiſſe, ſi verba ejus recte intelligantur. Ait enim: *Non ſum Propheta, & filius Propheta*, ideſt: non ſum Propheta ab utero, ſicut Jeremias; nec filius Prophetæ, ideſt, educatione, & inſtitutione præparatus ad prophetandum: ſed *ſum armentarius*, ideſt ex armentario tulit me Dominus, ac fecit Prophetam. Unde ſubdit ver. 15. *Et tulit me Dominus cum ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade Propheta ad populum meum Iſrael*. Ita exponit D. Thomas 2. 2. q. 113. art. 1. ad 1. dicens: *Amos autem negavit, ſe eſſe Prophetam origine, quia ſcilicet non erat de genere Prophetarum. Unde, & ibidem ſubdit:* Nec filius Prophetæ. —— Michæas autem loquitur ſecundum communem ſenſum vulgi, quaſi diceret: utinam falſa eſſent, quæ dico, nec evenirent. Ita exponit S. Hieronymus in dictum Cap. *Utinam de meo ſenſu loquerer, & Sanctum Spiritum non haberem; & inter Pſeudoprophetas potius computatus, ſolus perirem, & non eſſent vera, quæ dico... Verum quia Propheta ſum, & Spiritu Dei loquor: & a divinitate miſſus prædico veritatem &c.* Quibus non animus mentiendi, ſed affectus compatiendi exprimitur.

XXXIV. Ad Nonum. Sunt, qui illud neſcire Pauli intelligant pro eodem, ac non probare: ac ſi diceret; ego non approbo, non habeo iſtum pro principe Sacerdotum, utpote cujus Sacerdotium jam expiravit. Verius tamen, & plenius dici debet, Paulum neſciviſſe, iſtum Ananiam eſſe ſummum Sacerdotem. Jam enim a multis annis Jeroſolymis abfuerat Paulus; & neque tunc, niſi paucis diebus fuerat, & quidem aliis curis diſtractus: ut vere dicere potuerit, ſe neſcire, quis tunc ſummum gereret Sacerdotium. Maxime quia teſte Joſepho *lib. 20. Antiq. cap.* 8. tres dumtaxat menſes hic Ananias Pontificatum adminiſtravit; nec Concilium illud, coram quo loquebatur, habebatur in Templo, aut in ædibus ſummi Sacerdotis, ſed in aliqua domo privata; ut nec qui convenerant, diſtincti eſſent ſuis inſignibus, locis, & ordinibus. Quare Paulus bene potuit exiſtimare, eum, qui juſſerat ut os ejus percuteretur, eſſe quidem unum ex primariis Sacerdotibus; non vero ſummum illum Sacerdotem, & judicem, cui ſecundum legem nemo poterat maledicere.

XXXV. Secundo objicies pro eadem. Salus corporis, & etiam animæ, & fides etiam juſte poteſt mendacio defendi.

Simulare etiam fidem falſam ex bono fine licitum aſſeritur a S. Hieronymo *in cap. 2. ad Galat.* his verbis: *Utilem vero ſimulationem, & aſſumendam in tempore, Jehu Regis Iſrael nos docet exemplum: qui cum non potuiſſet interficere Sacerdotes Baal, niſi ſe finxiſſet, velle Idolum colere, dicens,... Et David quando mutavit faciem ſuam coram Abimelech... Nec mirum, quamvis juſtos homines, tamen aliqua ſimulare pro tempore, ob ſuam, & aliorum ſalutem; cum & ipſe Dominus noſter habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis aſſumpſerit &c.*

Et ratio eſſe poteſt: quia non omnis error eſt peccatum; ergo gignere errorem in animo audientis, quod per mendacium fit, non ſemper eſt peccatum.

XXXVI. Reſpondeo, neg. ant. Cum enim mendacium ſit ſua natura malum, velle mendacio impedire malum, vel procurare bonum; eſſet velle malum perſequi malo, & facere mala, ut veniant bona: quod reprobat S. Auguſtinus, & deteſtatur Apoſtolus. *Libro* enim *contra Mendac. cap.* 1. arguens eos, qui mendacio uti, ad detegendos hæreticos, licitum eſſe aſſerebant: *Quomodo igitur* (inquit) *mendacio recte potero perſequi? An & latrocinio latrocinia, & ſacrilegio ſacrilegia, & adulterio ſunt adulteria perſequenda?* Si autem veritas Dei in mendacio abundabit, *nunquidnam & nos dicturi ſumus:* Faciamus mala, ut veniant bona (Rom. 3. v. 7. & 8.) *quod vides quemadmodum deteſtetur Apoſtolus. Quid eſt enim aliud, mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, niſi:* Faciamus mala, ut veniant bona? *An aliquando bonum eſt mendacium, vel aliquando mendacium non eſt malum? Cur ergo ſcriptum eſt* (Pſalm. 5. ver. 7.)..... Perdes omnes qui loquuntur mendacium? *Non enim aliquos excipit, aut indefinite dixit:* Perdes loquentes mendacium; *ut quoſdam, non omnes, intelligi ſineret: ſed univerſalem ſententiam protulit dicens:* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium &c.

XXXVII. Fateor, S. Hieronymum ſuper hoc S. Auguſt. fuiſſe contrarium, de quo hic agere noſtrum non eſt, Sufficiet benigna S. Thomæ interpretatio 2. 2. qu. 111. art. 1. ad 2. dicentis: *Quod Hieronymus utitur large nomine ſimulationis pro quocumque fictione. Commutatio autem faciei David fuit fictio figuralis, ſicut Gloſſa exponit in titulo illius Pſalmi:* Benedicam Dominum in omni tempore. *Simulationem vero Jehu non eſt neceſſe excuſari a peccato, vel mendacio: quia malus fuit, utpote ab Idololatria Jeroboam non recedens. Commendatur tamen, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro ſimulatione, ſed pro zelo, quo deſtruxit cultum Baal.*

Et ibidem *ad* 4. diſtinguens, quando vere ſimulatio ſit, & mendacium, & quando non, ait: *Sicut aliquis verbo mentitur, quando ſignificat, quod non eſt; non autem quando tacet, quod eſt, quod aliquando licet: ita etiam ſimulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſigna factorum, vel rerum, ſignificat aliquid, quod non eſt; non autem ſi aliquid prætermittat ſignificare, quod eſt. Unde aliquis poteſt peccatum ſuum occultare abſque ſimulatione. Et ſecundum hoc intelligendum eſt, quod Hieronymus dicit ibidem* (in c. 3. Iſaiæ) *quod ſecundum remedium poſt naufragium eſt peccatum abſcondere, ne exinde aliis ſcandalum generetur.*

XXXVIII. Neque ratio allata evincit oppoſitum. Omnis enim error voluntarie inditus peccatum eſt. Ideoque culpa vacare non poteſt, qui ſciens, & volens inſerit errorem, quamvis innoxium menti alterius: quod faciunt, qui verbo, vel facto mentiuntur. An vero in Chriſtiano apud infideles utente eorum veſtibus, vel alio ſigno eis proprio, interveniat vera ſimulatio, aut mendacium facti; oſtendemus (Deo dante) in 2. 2. ubi agemus de externa confeſſione fidei.

XXXIX. Tertio objicies, licitum eſſe ex bono occidere alios, vel ſeipſum. Primo. *Exodi* 2. Moyſes occidens ægyptium auctoritate propria, & ex bona intentione liberandi proximum excuſatur. *Exodi 32. ver.* 27. datur unicuique poteſtas occidendi fratrem, & amicum ob peccatum vituli.

XL. Secundo. *Judicum* 16. Sampſon columnas templi concutiens, ſeipſum una cum Philiſthæis occidit; & tamen non peccavit, quia ex zelo Dei id fecit, ut Philiſtæos inimicos populi Dei occideret: unde ab Apoſtolo *Hebræor. 11. ver.* 32. enumeratur inter Sanctos, qui per fidem vicerunt regna.

XLI. Idem narratur de S. Apollonia, quæ in rogum ſe projecit. Et S. Ambroſ. *lib. 3. de Virginibus* laudat Pelagiam, quæ præcipitem ſe dedit in flumen, ne a perſequente milite violaretur. Quod etiam Euſebius *lib. 8. Hiſt. cap.* 12. laudat in muliere Antiochena cum duabus filiabus. Quod & feciſſe alias ſanctas feminas, tempore perſecutionis, refert S. Auguſt. *lib. 1. de Civit. Dei cap.* 26.

XLII. Tertio. S. Hieronymus in cap. 1. Jonæ: *In perſecutionibus* (inquit) *non licet propria perire manus, abſque eo, ubi caſtitas periclitatur;* ergo ad tuendam caſtitatem licet ſe occidere.

XLIII. Reſpondeo, neg. ant. cum D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 3. & 4. Ad primum dico, quod, ut ait S. Stephanus *Act. 7. ver.* 25. Moyſes percuſſit ægyptium fratri injuriantem, quia ſe a Deo miſſum exiſtimabat, ut per manus ſuas daret ſalutem fratribus ſuis. Ita S. Auguſt. *Qu. in Exod. lib. 2. qu.* 2. ubi dubium excitans: an factum illud Moyſis occidentis ægyptium omnino juſtificandum ſit: *Quod ideo* (inquit) *non videtur; quia nullam adhuc legitimam poteſtatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana ſocietate ordinatam*, reſolvit: *Tamen, ſicut Stephanus dicit in Actibus Apoſtolorum, putabat intelligere, fratres ſuos, quod per eum Deus daret illis ſalutem: ut per hoc teſtimonium videatur Moyſes jam divinitus admonitus (quod ſcriptura eo loco tacet) hoc audere potuiſſe.*

Auctoritate etiam divina, per Moyſen data, unuſquiſque potuit peccatum vituli in fratrem, & amicum vindicare; unde citato loco dicitur: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael.... occidat unuſquiſque fratrem &c.* Quare Deus potius per illos occidiſſe dicendus eſt, inquit D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 3. ad 1. *Ille* enim *aliquid facit, cujus auctoritate fit, ut patet per Dionyſium 12. cap. Cæleſtis hierarch. Et ideo, ut Auguſtinus dicit in 1. de Civit. Dei* (cap. 21.) Non ipſe occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti. *Unde illi, qui occiderunt proximos, & amicos ex mandato Dei non hoc feciſſe ipſi videntur, ſed potius ille, cujus auctoritate fecerunt. Sicut & miles interficit hoſtem auctoritate Principis; & miniſter latronem auctoritate judicis.* Hæc D. Thomas.

XLIV. Ad ſecundum dicit S. Thom. laudato loco art. 5. ad 4. *Quod ſicut Auguſt. dicit lib. 1. de Civit. Dei* (cap. 21.) Nec Samſon aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus Sanctus hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat. *Et eamdem rationem aſſignat de quibuſdam ſanctis feminis, quæ tempore perſecutionis ſeipſas occiderunt, quarum memoria in Eccleſia celebratur.*

Quibus reſpondetur ad id, quod additur de S. Apollonia, de Pelagia, & mulieribus Antiochenis &c. nimirum id feciſſe ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu: Ita S. Auguſt. *lib. 1. de Civit. Dei cap.* 26. his verbis: *Sed quædam, inquiunt, ſanctæ feminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum, atque necaturum ſe fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earúmque martyria in catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur.* Cui reſpondet: *De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit auctoritas, neſcio: & fieri poteſt, ut ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, non errantes, ſed obedientes? Sicut de Samſone aliud nobis fas eſt non credere. Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet?*

XLV. Ad tertium de S. Hieronymi dicto, dubitant multi, eum in hac opinione fuiſſe. Sed verius eſt dicere, eum locutum fuiſſe, ſi id fiat ex inſtinctu Dei, qui certius adeſſe ſolet, cum inſtat periculum caſtitatis. Vel ly *abſque* ſumi ab ipſo, non excluſive, ſed copulative; ut ſenſus ſit, non licere perire propria manu, etſi caſtitas periclitetur, juxta illud Cant. 4. *abſque eo, quod intrinſecus latet*. Quibus indicatur,



tur, ſponſam eſſe totam pulchram non ſolum quoad oculos, qui exterius apparent, ſed etiam quoad ea, quæ intrinſecus latent.

XLVI. Ut ut ſit, certum eſt, nec ſervandæ caſtitatis cauſa, proprio inſtinctu, non divino, non licere ſe occidere. Ita S. Auguſt. laudato *lib. 1. de Civit. Dei cap.* 21. & 26. a quo excripſit S. Thom. 2. 2. *qu. 64. art. 5. ad* 3. dicens: *Non licet mulieri ſeipſam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in ſe committere crimen maximum quod eſt ſui ipſius occiſio, ut vitet minus crimen alienum. Non enim eſt crimen mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit; quia non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, ut Lucia dixit. Conſtat autem, minus eſſe peccatum fornicationem, vel adulterium, quam homicidium, & præcipue ſui ipſius, quod eſt graviſſimum: quia ſibi ipſi nocet, cui maximam dilectionem debet. Et etiam periculoſiſſimum, quia non reſtat tempus, ut per pœnitentiam expietur. Similiter nulli licet ſeipſum occidere ob timorem, ut conſentiat in peccatum; quia non ſunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut vitentur mala præſertim minora, & minus certa. Incertum eſt enim, an aliquis in futurum conſentiat in peccatum. Potens eſt enim Deus hominem quacumque tentatione ſuperveniente liberare a peccato.* Vide Auguſt. *lib. 1. de Civit. Dei cap.* 25. & 17.

XLVII. Neque occiſio ſui ipſius, quocumque ex fine bono, eſt actus virtutis fortitudinis. Nam, ut docet idem S. Thomas citato loco ad 5. *Ad fortitudinem pertinet, quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat, propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum. Sed quod aliquis ſibi ipſi inferat mortem, ut vitet mala pœnalia, habet quidem quamdam ſpeciem fortitudinis; propter quod quidam ſeipſos interfecerunt, æſtimantes ſe fortiter agere, de quorum numero Razias fuit* (2. Machab. 14.) *non tamen eſt vera fortitudo, ſed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia ſuſtinere, ut patet per Philoſ. in 3.* Ethic. (cap. 18.) *& per Auguſt. in 1. de Civ. Dei* (cap. 23.) qui *ibidem* cap. 21. concludit: *His igitur exceptis, quod vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet; quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

XLVIII. Nec refert, quod de Razia dicatur (ver. 14. & 42.) *Gladio ſe petit; Eligens nobiliter mori, quam ſubditus fieri peccatoribus.* Quia eſto ex tali motivo ſe occidere nobilius eſſet, ſecundum hominum opinionem; non tamen ſecundum veritatem, & ſapientiam Dei. Unde S. Auguſt. *Epiſt.* 61. nunc 204. *ad Dulcitium* de Raziæ facto loquens: *Solent* (inquit) *in litteris Gentilium iſta laudari. In his autem Machabæorum libris quamvis homo ipſe fuerit laudatus; factum tamen ejus narratum eſt, non laudatum, & indicandum potius, quam imitandum... Non ergo fuit iſte vir eligendæ mortis ſapiens, ſed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum eſt, quod voluerit* nobiliter, & viriliter mori. *Sed nunquid ideo ſapienter?* Nobiliter, *ſcilicet, ne libertatem ſui generis captivus amitteret:* Viriliter *autem, quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus eſſet, ut ſe ipſe perimeret... magna ſunt hæc, nec tamen bona.* Quamvis autem aliqui Raziam excuſare conentur; Auguſtinus tamen ad eum vituperandum pronior fuit, quam ad excuſandum: quia (ut conſtat Epiſt. citata) ejus exemplo abutebantur Circumcelliones Donatiſtæ ad ſuæ hæreſeos ac immanitatis defenſionem.

XLIX. Quarto objicies. Eodem præcepto, quo quis prohibetur occidere ſeipſum, etiam prohibetur occidere alium: ſed aliquando licet occidere alium; ergo & ſeipſum.

Confirmatur. Idem videtur, non conſervare vitam propriam, & eam ſibi auferre: ſed interdum licet eam non conſervare; ergo &c.

L. Reſpondetur, neg. conſeq. Quia occiſio alterius, quandoque eſt conformis rectæ rationi, ut cum fit auctoritate habentis in Republica poteſtatem: occiſio autem ſui ipſius, ſecluſa Dei juſſione, aut diſpenſatione, conformis rectæ rationi eſſe non poteſt, cum nullus hominum poſſit ejus rei facultatem concedere. Eſto enim Reſpublica poſſit hominem morti addicere; præcipere tamen, ut ſeipſum interficiat, non poteſt, quia contra rationem eſt. Præcipere tamen poteſt, ut homo exponat vitam ſuam evidenti periculo mortis ob publicum bonum; quia parti præcipi poteſt, ut exponat ſe periculo pro ſalute totius: & ſubditus obediens non intenderet per ſe mortem ſui, ſed patriam ab evidenti periculo, & ſeipſum a morte ſibi ab hoſtibus inferenda liberare.

Hinc excuſantur nautæ, qui injecto igne in pulverem tormentarium, ne in hoſtium poteſtatem veniant, ſeſe projiciunt in mare, quamvis cum magno vitæ periculo: quia tunc non intendunt ſui interitum, ſed potius ſe a certiſſima morte ab hoſtibus inferenda eripere. Secus tamen eſſet, ſi injecto pulvere manerent in navi: nam id eſſet directe velle ſe occidere potius, quam hoſtium ludibriis ſe exponere, ut de Razia diximus.

Excuſantur etiam milites, qui, ad evertendam hoſtium turrim, ignem injiciunt in pulverem tormentarium, eſto cum evidenti vitæ diſcrimine: quia non hoc faciunt, ut ſe interimant; ſed juſtiſſimam habentes cauſam, exponunt ſe periculo propter utilitatem Reipublicæ.

Excuſantur etiam milites, qui conſcendunt turres, aut muros hoſtium bellantium; vel portas Civitatis eorum ingrediuntur primi, vel primi hoſtium telis ſeſe objiciunt, etiam non juſſi. Hoc enim non agunt, ut ſe interficiant, ſed id agunt, unde mors propria, ut plurimum ſequitur; quod interdum licet, quodque etiam feciſſe legitur Eleazarus 1. *Machab. cap. 6. ver.* 46. ubi occidit elephantem, ſimulque cum eo fuit occiſus: qui proinde a S. Ambroſio *lib. 1. de Off. cap.* 40. laudatur, utpote ex Dei, ac Religionis zelo ſe exponens periculo, ut populum liberaret; forte etiam cogitans, ſe vel inde egreſſurum, antequam beſtia caderet; vel ipſam in aliud latus caſuram, ſeque incolumen evaſurum.

LI. Ad confirm. nego maj. abſolute. Quamvis enim moraliter videatur eſſe idem, ſeipſum occidere, ac vitam non conſervare, quando quis poteſt, ac debet eam conſervare: ideoque ſi non conſervet, peccet tamquam occiſor ſui: non tamen eſt omnino idem, ita ut ſicut in nullo caſu licitum eſt ſe occidere; ita licitum non ſit vitam propriam non conſervare. Eſto enim cuique præceptum ſit, ut propriam vitam ſervet, nec eam temere, vel levibus ex cauſis exponat; aliquando tamen, ut ſi honor Dei, vel ſalus proximi, aut Reipublicæ poſtulet, poſſumus, immo tenemur, vitam periculo exponere.

## D u b i u m VIII.

*An Bonitas, & Malitia actus Exterioris a Voluntatis actu pendeat, & quid ad illam addat?*

### §. I.

*Reſolvitur prior Pars.*

I. NOmine voluntatis actus eum intelligimus, qui alias vocari ſolet actus voluntatis internus; qui nimirum a voluntate immediate exit, & ab ea elicitur tamquam actus proprius ejus. Nomine vero actus exterioris intelligimus omnem alium actum, qui ab alia quidem, quam a voluntatis potentia elicitur; ab ipſa tamen voluntate imperatur: ut ſic etiam actus intellectus, quamvis non ſit extra hominem, ut nec ſenſibilis, computetur tamen inter actus exteriores, in quantum eſt externus voluntati, hoc eſt, non proprius voluntatis, nec ab ea elicitus.

II. Notat tamen D. Thom. hac 1. 2. *qu.* 20. *art.* 1. in actu exteriori duplicem conſiderari bonitatem, vel malitiam. Unam ex genere ſuo, & ſecundum ipſi debitas circumſtantias; ſicut dare eleemoſynam, ſervatis debitis circumſtantiis, eſt bonum. Alteram ex ordine ad finem; ſic dare eleemoſynam, quod ex ſuo genere bonum eſt, ſi fiat ex fine inanis gloriæ, malum eſt.

III. Dico primo. Bonitas, vel malitia, quam habet actus exterior ex ordine ad finem, tota pendet a voluntate; ea vero, quam habet ex genere ſuo, vel objecto, & circumſtantiis, ſeu ex objecto bene, vel male circumſtantiato, non pendet ex voluntate, ſed ex conformitate, vel difformitate ad rationem. Ita D. Thom. hac *qu.* 20. *art.* 1. Prior pars prob. Ordinare in finem proprium eſt voluntatis, cujus objectum eſt finis, & cujus eſt, ad finem actus aliarum potentiarum imperare; ergo bonitatem, vel malitiam, quam habent exteriores actus ex ordine ad finem, totam accipiunt a voluntate.

IV. Secunda vero pars prob. Quia ut docet D. Thom. hic art. 1. eſto bonitas, vel malitia, quam habet actus exterior ex fine, per prius ſit in voluntate; bonitas tamen, quam habet ex objecto, ſicut & malitia, per prius eſt in actu exteriori: quatenus ipſe ex ſpecie ſua eſt conformis, vel difformis rectæ rationi, & poſtea convenit voluntati, in quantum voluntas fertur in ipſum. In tantum enim voluntas dandi eleemoſynam eſt bona, quia dare eleemoſynam, ex ſpecie ſua, eſt conforme rationi: & in tantum voluntas furandi eſt mala, quia furari ex genere ſuo eſt difforme rationi, non e contra.

V. His non obſtat, ſi dicas: Etiam bonitas, & malitia, quæ eſt ex fine, dependet a ratione. Nam ſicut dare eleemoſynam eſt bonum, quia conforme rectæ rationi; & furari eſt malum, quia rectæ rationi difforme: ita dare eleemoſynam propter Chriſtum eſt bonum, quia conforme rectæ rationi; & furari ad mæchandum eſt malum, quia rationi difforme —— Nam ejuſmodi bonitas, ex fine, vel malitia, eſto pendeat ex ratione tamquam ex prima, ſeu remota regula, pendet tamen a voluntate tamquam a proxima regula: ipſa enim eſt, quæ immediate ordinat operationem ad talem finem, & ordinando facit bonam, vel malam ex fine.

VI. Advertit tamen S. Doct. hoc *art.* 2. quod cum ad hoc, quod aliquid ſit malum, ſufficiat unus ſingularis defectus: ad hoc autem, quod ſit ſimpliciter bonum, non ſufficiat unum ſingulare bonum, ſed requiratur integritas bonitatis: quia malum ex quocumque defectu, bonum vero ex integra cauſa. Propterea, ut actus exterior ſit bonus, non ſufficit, ut voluntas ſit bona, vel ex objecto volito, vel ex intentione finis; ſed neceſſario requiritur, ut ſit bona, & ex objecto bene circumſtantiato, & etiam ex intentione finis: ut vero ſit malus, ſufficit, ut voluntas ſit mala, vel ex intentione finis, vel ex objecto, ſive ſecundum ſe, ſive ob alicujus neceſſariæ circumſtantiæ defectum, malo. Unde quamvis dare eleemoſynam ſit bonum ex objecto; ſi tamen fiat, vel de alieno, vel de proprio quidem, ſed ob inanem gloriam, actus eſt ſimpliciter malus: & ſimiliter quando aliquis bonum quidem finem intendit, ſed per malum medium; velut, ſi propter eleemoſym faciendam furetur, actus exterior eſt malus.

VII. Sed dices. Matth. 7. ver. 18. ait Chriſtus; *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere:* ſed per arborem intelligitur voluntas, & per fructum opus, juxta Auguſt. *lib. 1. contra Julian. cap.* 8. ergo poteſt eſſe, quod voluntas interior ſit bona, & actus exterior malus, aut e contra. —— Eo vel maxime, quia ſecundum eumdem Auguſt. *lib. 1. Retract. cap.* 9. nonniſi voluntate peccatur: & in tantum actus dicitur bonus, vel malus, in quantum eſt vo-

voluntarius ; ergo bonum , & malum exterioris actus totum ſumitur ex voluntate.

VIII. Reſpondeo tamen cum D. Thom. *art. 2. ad 1.* nomine arboris bonæ , vel malæ intelligi quidem voluntatem , ſicut , & nomine fructus operationem externam : ſed voluntas bona ſimpliciter accipienda eſt *ſecundum quod habet bonitatem ex actu volito , & ex fine intento* —— Similiter verum eſt , quod voluntate peccatur : ſed inquit S. Doct. ad 2. *Non ſolum aliquis voluntate peccat , quando vult malum finem , ſed etiam quando vult malum actum.* Et ad 3. dicit , quod *voluntarium dicitur , non ſolum actus interior voluntatis , ſed etiam actus exteriores , prout a voluntate imperantur.* Unde ſi actus imperatus ex ſua ſpecie ſit malus malitiam transfundit in voluntatem : & ſi , eſto in ſua ſpecie bonus , a voluntate tamen ordinetur ad malum finem , voluntas malitiam transfundit in actum. —— Unde nota , quod actus externus comparatur ad voluntatem , ut prior , & ut poſterior. Ut prior quidem , quatenus eſt intentus , ac volitus : & ſi ſit bonus , facit ex hac parte voluntatem bonam , ſi vero malus , facit eam totaliter malam. Ut poſterior vero , quatenus in executione ponitur ; ſic enim eſt effectus voluntatis : & a voluntate bona , nempe ad bonum finem imperante , eſt bonus , malus autem , ſi a voluntate ad malum finem ordinetur. Quæ doctrina eſt D. Thomæ hac *qu. 20. art. 1. ad 1. ad 2. & 3.*

## §. II.

### *Reſolvitur poſterior Pars.*

IX. ANte reſolutionem obſervandum eſt ex D. Thoma hic *art. 3.* actum internum voluntatis , & externum quandoque habere eamdem bonitatem , vel malitiam , quandoque non. Bonitas enim , & malitia actus interioris , & exterioris invicem ordinantur. *Contingit autem in his , quæ ad aliud ordinantur , quod aliquid eſt bonum ex hoc ſolum , quod ad aliud ordinatur : ſicut potio amara ex hoc ſolo eſt bona , quod eſt ſanativa : unde non eſt alia bonitas ſanitatis , & potionis , ſed una & eadem. Quandoque vero illud , quod ad aliud ordinatur , habet in ſe aliquam rationem boni , etiam præter ordinem ad aliud bonum : ſicut medicina ſaporoſa habet rationem boni delectabilis , præter hoc , quod eſt ſanativa.*

X. Inde concludit : *Quod quando actus exterior eſt bonus , vel malus ſolum ex ordine ad finem ; tunc eſt omnino eadem bonitas , & malitia actus voluntatis , quæ per ſe reſpicit finem , & actus exterioris , qui reſpicit finem mediante actu voluntatis. Cum autem actus exterior habet bonitatem , vel malitiam ſecundum ſe , ſcilicet , ſecundum materiam , vel circumſtantiam ; tunc bonitas exterioris actus eſt una , & bonitas voluntatis , quæ eſt ex fine , eſt alia. Ita tamen quod , bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem , & bonitas materiæ , & circumſtantiarum redundat in actum voluntatis , ſicut jam dictum eſt.* His ex D. Thoma ſuppoſitis.

XI. Dico ſecundo. Si loquamur de bonitate , & malitia , quam actus exterior habet ex fine , ad quem a voluntate ordinatur ; actus exterior non addit aliquid ad bonitatem , vel malitiam actus interioris. Ita D. Thom. hic *art. 4.* Probo. Nam , ex mox dictis , actus exterior bonus , vel malus ex fine , eſt bonus eadem bonitate , vel malus malitia eadem , qua bonus , vel malus eſt actus voluntatis , ex quo bonitatem , vel malitiam accipit. Notat tamen D. Thomas eodem *art. 4.* Et *in 2. diſt. 40. qu. 1. art. 3.* quod cum dicitur , actum exteriorem nihil bonitatis addere , debet intelligi , ſi voluntas æqualiter intenſa ſit : *Nam* ( inquit ) *quidam actus ſunt delectabiles , in quibus voluntas non poteſt eſſe ita intenſa ante actum , ſicut eſt in actu , ut patet in actu fornicationis. Unde non æqualiter demeretur , qui vult fornicari , & qui actu fornicatur* : quia voluntas non *poteſt eſſe adeo perfecta ante actum , ſicut eſt in actu. Quidam vero actus ſunt difficiles , in quibus voluntas remittitur in actu : & in iſtis voluntas poteſt eſſe magis perfecta ante actum , quam in actu.*

XII. Dico tertio. Si loquamur de bonitate , & malitia , quam actus exterior habet ex objecto ſuis circumſtantiis affecto ; ſic actus exterior addit ad bonitatem , vel malitiam actus interni , nempe , conſummationem , & complementum : quia in actu externo bonitas , vel malitia actus interni quaſi terminatur , & conſummatur. Ita D. Thom. *art. 4.* citato , & probat. Quia *omnis inclinatio , vel motus perficitur in hoc , quod conſequitur finem , vel attingit terminum* : ſed actus exterior ſecundum eam bonitatem , vel malitiam , quam habet ex objecto , eſt finis , & terminus , in quem tendit actus interior : terminus enim , & conſummatio voluntatis dandi eleemoſynam , eſt largitio eleemoſynæ : & terminus voluntatis furandi , eſt furari , ſeu acceptio rei alienæ ; ergo actus exterior &c.

XIII. Ex his apparet , bonitatem , vel malitiam , quam addit actus exterior ad actum interiorem , non eſſe novam bonitatem , aut malitiam , vel novum bonitatis , aut malitiæ gradum ; ſed eſſe potius complementum , conſummationem , & terminum actus interioris : quia bonitas , vel malitia actus interni non cenſetur conſummata , & terminata , niſi opere exterius poſito. Quare S. Thomas *in 2. diſt. 40. qu. 1. art. 3.* ait : *Si autem loquamur de bonitate actus , quam actus exterior ſecundum ſe habet ; ſic actus exterior complet interiorem in bonitate , vel malitia , ſicut terminus motus complet motum.*

XIV. Dico quarto. Si voluntas ſit de ſe perfecta , ita ut ſolum non procedat ad opus , quia vel non poteſt , vel occaſionem non habet , parata tamen ipſum opus facere , ſi poſſet ; tam eſt bona , vel mala illa voluntas cum actu , quam ſine illo. Ita S. Thomas hoc *art. 4.* & probat. Quia defectus operis in illo caſu eſt illi involuntarius ſimpliciter. *Involuntarium autem ſicut non meretur pœnam , vel præmium in operando bonum , aut malum ; ita non tollit aliquid de præmio , vel de pœna , ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum , vel malum.* Sicut ergo non tollit aliquid de præmio , aut pœna talis defectus operis ; ita nec tollit aliquid de bonitate , aut malitia actui interiori : & ideo æque bona erit voluntas , vel mala ſine opere externo , quam cum illo.

XV. Hanc veritatem confirmant Patres. S. Auguſtinus *lib. 1. de Lib. arbitr. cap. 3.* ait : *ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena , planum tamen aliquo modo ſit , id eum cupere , & ſi poteſtas detur facturum , eſſe ; non minus reus eſt , quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Huc pertinet , quod *Ep. 49.* nunc 102. *ad Deogratiam qu. 4.* docet , quod voluntatis affectus *omnium factorum , meritorumque menſura eſt.* Quare lib. de bono Conjugali cap. 21. *Quo circa* ( inquit ) *ſicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro , qui paſſus eſt , & in Joanne , qui paſſus non eſt : ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne , qui nullas expertus eſt nuptias , & in Abraham , qui filios generavit* : quia Joannes continentiam habebat in opere , ſed Abraham in habitu , ideſt animo.

XVI. Quam doctrinam firmat Scriptura. Tum *Geneſ. 22.* ubi etſi Abraham filium ſuum Iſaac non occiderit ; quia tamen occidere paratus erat , laudatur , ac ſi revera , & facto occidiſſet ; ſic eum alloquente Domino ver. 16. 17. *Quia feciſti hanc rem , & non pepercisti filio tuo unigenito propter me : Benedicam tibi &c.* Tum Matth. 5. ver. 28. *Omnis* ( inquit Chriſtus ) *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam , jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Tum 2. Cor. cap. 8. ver. 12. *Si enim voluntas prompta eſt , ſecundum id , quod habet , accepta eſt , non ſecundum id , quod non habet.* Super quæ S. Cyprianus lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirin. *In opere ,* ( inquit ) *& eleemoſynis etiamſi per mediocritatem minus fiat , ipſam voluntatem ſatis eſſe.* Unde vidua illa , quæ *Marci 12. ver. 43.* opere minus omnibus miſit in gazophylacium , plus omnibus miſit , Chriſto teſtante ; quia magna voluntate miſit. Ita ſentiunt Doctores fere omnes. Cum enim actus exterior in tantum ſit formaliter bonus , vel malus bonitate , vel malitia morali , quia eſt volitus , & a voluntate ; ex majori , vel minori voluntatis conatu , ejus bonitas , vel malitia regulatur. Unde D. Thomas exponens Auguſtini dictum *lib. 1. Retract. cap. 9. Nonniſi voluntate peccatur qu. 2. de Malo art. 2. ad* 1. ait : hoc ideo dici ; quia *voluntate producitur non ſolum actus interior , quem voluntas elicit ; ſed etiam actus exterior , quem voluntas imperat. Et ita etiam hoc ipſum , quod exteriori actu peccatur , voluntate peccatur.* Et ad 2. *Peccatum* (inquit) *dicitur eſſe voluntas ; non quod tota eſſentia peccati ſit in actu voluntatis , ſed quia totum peccatum conſiſtit in voluntate , ſicut in radice.* Et ad 3. ſubdit : *Ex voluntate eſt , quod actus ſit laudabilis , ſeu meritorius & virtuoſus ; vel culpabilis , & demeritorius , & vitioſus. Et ideo quælibet virtus , & vitium dicitur eſſe habitus mentis , & voluntatis ; non quia ad actum virtutis , & vitii pertineat etiam exteriores actus : ſed quia non ſunt actus virtutis , & vitii , niſi ſecundum quod a voluntate mentis imperantur.*

XVII. Ex his inferes , non ita ponere bonitatem , vel malitiam in actu interiori voluntatis ; quin eam etiam ponamus in actibus externis , ut a voluntate imperatis : ſed ſolum velle , formalem bonitatem , vel malitiam per ſe , tamquam a radice , & forma , ab actu interiori decurrere ad actus externos ; ut horum bonitas , vel malitia a bonitate , vel malitia actus interni reguletur , ac menſuretur : ita ut ſi voluntas ab actu externo nullam patitur mutationem , ſed ſit æque intenſa , & diuturna ſine illo , quam cum illo ; nulla ex actu externo in re poſito , vel non poſito accreſcat , vel decreſcat bonitas.

XVIII. Quod ſi contingat , in ipſa perpetratione operis externi voluntatem intendi , magiſque , vel etiam diuturnius affici ad bonum , vel malum , quod concupiſcit ; ut contingere ſolet im actibus delectabilibus , puta , venereis : in quibus , ut ait D. Thom. qu. 2. de Malo art. 2. ad 8. *voluntas augetur , quaſi remoto fræno rationis , quæ ante actum aliqualiter remurmurabat* : vel ab oppoſito contingat , voluntatem in perpetratione operis potius remitti , & citius ceſſare ; ut contingere ſolet in actibus pœnalibus , & macerationibus corporis : in quorum exercitio voluntas remitti potius ſolet , & experimento minus ad eos affici , quam ante : tunc certum eſt , per actum externum augeri , vel minui bonitatem , vel malitiam actus interioris. Veruntamen iſtud augmentum , vel diminutionem actus exterior præſtat , non per ſe , & ratione ſui , ſed ſolum per accidens : in quantum occaſione operis externi contingit , actum internum fieri intenſiorem , vel diuturniorem , vel minus intenſum , & minus diuturnum. Et in hoc ſenſu loquitur S. Auguſt. *tract. 58. in Joann.* Dum de lotione pedum , quam aliqui Sancti prætermittunt , *Quod* (inquit) *manu non faciunt , corde faciunt ... Multo autem eſt melius , & ſine controverſia verius , ut etiam manibus fiat.* Quia ſcilicet hoc opere manuum excitatur , vel confirmatur voluntas humiliandi ſe coram fratre ſuo. Unde ſubdit : *Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus , etiam in corde ipſo vel excitatur , vel ſi jam intrat , confirmatur ipſius humilitatis affectus.*

XIX. Quo etiam modo *lib. de Cura gerenda pro mortuis cap. 5.* cum dixiſſet , genuflexione , manuum extenſione , corporis proſtratione , aliiſque id genus actionibus externis homines utiliter exerceri , quamvis inviſibilis eorum voluntas , & cordis intentio Deo nota ſit ; rationem ſubjungit : *Sed hinc magis ſeipſum excitat homo ad orandum , gemendumque humilius , atque ferventius. Et , neſcio quomodo , cum hi motus corporis fieri , niſi motu animi præcedente , non poſſint , eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis , ille interior inviſibilis , qui eos fecit , augetur : ac per hoc cordis affectus , qui , ut fierent iſta , præceſſit , quia facta ſunt , creſcit.* Et eodem modo exponendus eſt D. Hieronymus , cum *in cap. 3. ad Epheſ.* ſcribit , quod dum *Deum genu poſito ſuppliciter adoramus , & fixo in terram poplite ; magis , quod ab eo poſcimus , impetramus.* Patet ergo , actu externo in tantum ſæpe augeri bonitatem , quia eo , vel magis intenditur , vel continuatur , vel repetitur voluntas bona : & contra augeri malitiam , quia voluntas mala externo opere fit intenſior , vel diuturnior , vel replicatur. Et propterea inæqualitatem in bonitate , vel malitia , quæ poſito actu exteriori conſurgit , oriri per ſe ex inæqualitate , quæ reſultat in actu interiori voluntatis.





XX. Si vero , etiam poſito actu externo , nulla ſit in voluntate mutatio , ſed maneat eadem , ut ante ; adhuc ex poſitione actus externi augebitur bonitas , & malitia actus : non quidem reſpectu præmii , vel pœnæ eſſentialis , ſed reſpectu præmii , vel pœnæ accidentalis. Quamvis enim actus exterior nihil addat ad præmium , vel pœnam eſſentialem , addit ad præmium , vel pœnam accidentalem ; ut docet D. Thom. in 2. *diſt. 40. qu. 1. art. 3.* & explicat *qu. 2. de Malo art. 2. ad 8.* his verbis : *Qui enim habet voluntatem dandi eleemoſynam , & non dat , quia non habet facultatem ; tantumdem meretur , quantum ſi daret , per comparationem ad præmium eſſentiale , quod eſt gaudium de Deo : hoc enim præmium reſpondet charitati , quæ ad voluntatem pertinet. Sed per comparationem ad præmium accidentale , quod eſt gaudium de quocumque bono creato , magis meretur , qui non ſolum vult dare , ſed dat : gaudebit enim , non ſolum quia dare voluit , ſed quia dedit , & ex omnibus bonis quæ ex illa datione pervenerunt. Et ſimiliter ſi conſideratur quantitas demeriti per comparationem ad pœnam eſſentialem , quæ conſiſtit in ſeparatione a Deo , & dolore exinde proveniente ; non minus demeretur , qui ſola voluntate , quam qui voluntate , & actu peccat ; quia hæc pœna eſt contemptus Dei , qui reſpicit voluntatem : ſed quantum ad pœnam ſecundariam , quæ eſt dolor de quocumque alio modo , ſic magis demeretur , qui actu , & voluntate peccat : habebit enim dolorem , non ſolum de eo , quod male voluit , ſed etiam de eo , quod male fecit , & de omnibus malis , quæ de ejus maleficio provenerunt. Unde & pœnitens , qui pœnam futuram pœnitendo prævenit , de omnibus talibus dolet.* Hæc Div. Thom.

## §. III.

### *Fundamenta oppoſita.*

XXI. PLura ſunt , quæ præfatis reſolutionibus obſtare videntur : & maxime , quod actus exterior non addat per ſe novam malitiam actui interno. Et primo ſic. S. Auguſtinus *lib. 13. de Trinit. cap. 5.* dicit : *Mala enim voluntate , vel ſola quiſque miſer efficitur : ſed miſerior poteſtate , qua deſiderium malæ voluntatis impletur.*

XXII. Reſpondeo , quod qui deſiderium malæ voluntatis opere implet , miſerior efficitur , non per ſe ; quaſi actus exterior ratione ſui novam malitiam , vel novum malitiæ gradum inducat : ſed per accidens ; quia ut ſupra dicebamus ex eodem Auguſtino , plerumque contingit , ut ex opere externo voluntas fiat intenſior , diuturnior , & magis extenſa , quam eſſet ſine opere. Ut enim ait Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. par. 14. Cap. 6. *Vix fieri poteſt , ut voluntas opere ſuo non augeatur.* Hoc autem eſt , bonitatem , vel malitiam augeri ex augumento bonitatis , vel malitiæ in actu interno voluntatis. Quod ſi opere externo voluntas mala non augeatur ; adhuc qui malum opere implet , miſerior efficitur , quoad pœnam accidentalem , ob mala , quæ ex opere externo ipſi peccatori obveniunt , ſive in hac , ſive in altera vita , ultra pœnam eſſentialem ſeparationis a Deo.

XXIII. Secundo objicies. Quantum additum quanto facit ipſum majus : ergo ſi ad malum actum internum addatur malus actus externus , majus erit malum , quam ſi eſſet actus externus ſolus.

Confirmatur. Si aliquid æqualiter fit per unum , ac per duo , ſuperfluum eſt , illa duo inducere ; ergo ſi æqualis bonitas eſt in actu interno , & externo ſimul , ac in ſolo actu interno , actus æxternus ſuperfluus erit.

XXIV. Reſpondetur cum D. Thom. *qu. 2. de Malo art. 2. ad 8.* ant. eſſe verum , quando utrumque eſt eodem modo quantum : *Sed ubi unum eſt ratio alterius , quod ſit quantum , hoc non oportet : ſicut ſi lignum eſt longum , erit linea longa ; nec oportet , quod lignum cum linea ſit longius , quam linea , quia linea eſt ratio longitudinis ligno : ſicut etiam dictum eſt , quod actus exterior habet rationem culpæ ab actu voluntatis.* Unde quamvis actus exteriores ſint peccata , quia tamen rationem peccati habent ab actu interiori ; ideo conjuncti cum eo non faciunt formaliter peccatum majus.

XXV. Huc pertinet , quod S. Doct. 1. 2. hac *qu. art. 3. ad 3.* dicit , nempe : quod *quando aliquid ex uno derivatur in alterum , ſicut ex cauſa agente univoca , tunc aliud eſt , quod eſt in utroque : ſicut cum calidum calefacit , alius numero eſt calor calefacientis , & calor calefacti , licet idem ſit in ſpecie. Sed quando aliquid derivatur ab uno in alterum ſecundum analogiam , vel proportionem , tunc eſt tantum unum numero : ſicut a ſano , quod eſt in corpore animalis , derivatur ſanum ad medicinam , & urinam : nec alia ſanitas eſt medicinæ , & urinæ , quam ſanitas animalis : quam medicina facit , & urina ſignificat. Et hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris , & e converſo , ſcilicet , ſecundum ordinem unius alterum.* Quare idem S. Doct. *qu. 2. de malo art. 2. ad 5.* ex quo actus interior fit ratio , quare actus exterior ſit culpabilis , concludit : quod *quantum ad hoc , quod eſt eſſe peccatum culpabile , actus voluntatis ſe habet ut formale ad actum exteriorem ; & actus exterior ſe habet , non accidentaliter , ſed materialiter ad tale peccatum.* Cujus exemplum poſuerat in lumine , & colore : quod ſicut lumen ſe habet ut formale , color autem ut materiale ; lumen videri poteſt ſine colore , non tamen color ſine lumine ; & ex lumine , & colore fit unum viſibile : ita actus voluntatis ſe habet ut formale ; actus externus ut materiale ; & ex utroque una bonitas , vel malitia moralis conſurgit.

XXVI. Ex hac doctrina infertur , quod ſolus actus interior ſit bonus , vel malus intrinſece bonitate , vel malitia formali , actus vero exterior ſolum extrinſece a bonitate , vel malitia inhærente actui interiori , extrinſece denominante actum exteriorem. Quamvis enim quidam actus exteriores ſint boni , vel mali ſecundum ſe , ſive ſecundum ſpeciem , & ex objecto ; quia conformes , vel difformes rectæ rationi : in uſu tamen , & exercitio , actus exterior non eſt hic & nunc bonus , aut malus moraliter ; niſi bonitatem , vel malitiam accipiat a voluntate , a qua etiam accipit , quod ſit liber. Homicidium enim , quod eſt ex objecto malum , non eſt peccatum ei , qui illud committit , niſi quatenus voluntarie illud committit.

XXVII. Ad confirm. nego abſolute conſeq. Eſto enim actus exterior non augeat bonitatem , & malitiam ; eam tamen complet ut terminus , & objectum ; eam auget quoad præmium , & pœnam , eſto non eſſentialem , accidentalem tamen. Per actus externos repetitos generantur boni , vel mali habitus ; voluntas ipſa diutius perſeverat , & etiam ſæpe intenditur. Serviunt paci , & tranquilitati Reipublicæ , faciendis ſatisfactionibus , reſtitutionibus. Tandem ſerviunt , ut luceat lux noſtra coram hominibus , ut videant opera noſtra bona ; & glorificent Patrem noſtrum , qui in Cælis eſt , ut ait Chriſtus *Matth. 5.*

XXVIII. Tertio objicies. Actus interior , & exterior diſtinctis præceptis prohibentur : nam ſexto ; & ſeptimo Decalogi præcepto prohibentur actus externi fornicationis , & furti : & nono , & decimo prohibentur actus interni tantum , nempe , concupiſcere uxorem , & rem alienam ; ergo ſignum eſt , in actibus externis eſſe diverſam malitiam ab actibus internis.

Confirmatur. Inter errores Petri Abailardi , ab Eccleſia damnatos , quidam hunc recenſent ; quod Deus ſolum remuneret , vel puniat voluntatem ; & quod propter opera homo non efficiatur melior , aut pejor , niſi forte voluntas augeatur : ſed hoc aſſerit noſtra ſententia ; ergo ſuſtineri non poteſt.

XXIX. Reſpondeo , neg. conſeq. Nam uxoris , & rei cujuſcumque alienæ concupiſcentia non ideo diverſis præceptis prohibita eſt , a præceptis , quibus actus externi fornicationis , & furti prohibentur ; quia diverſa ſit malitia in voluntate , & opere externo : ſed quia periculum erat , ne homines carnales , ut erant Judæi ( quibus Decalogus ſcripto datus eſt ) legem obſervaſſe ſibi viderentur , ſi a ſolis actibus externis temperarent , quamvis eis interius præberent conſenſum. In quem errorem lapſos fuiſſe Phariſæos indicant iſta Chriſti verba Matth. 5. ver. 27. & 28. *Audiſtis , quia dictum eſt Antiquis , non mœchaberis. Ego autem dico vobis , quia omnis , qui non viderit mulierem ad concupiſcendum eam , jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Unde obſervandum eſt : quod ſi propterea daretur diverſum præceptum de non concupiſcenda uxore , ac re aliena a præcepto de non ponenda fornicatione , & furto opere externo , quia opus externum adderet malitiam ſupra actum internum ; debuiſſet poni etiam præceptum de non deſideranda morte proximo diſtinctum a præcepto non occidendi. Cauſa ergo multiplicandi præcepta de non mœchando , & furando , & de non concupiſcendo alienam uxorem , & rem , fuit , vel ſuperius allegata , vel major pronitas , quam habet homo ad actus concupiſcibilis , quam iraſcibilis , cui frænandæ ſpeciale præceptum apponi debuit. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 6. ad 4. *Dicendum* (inquit) *quod homicidium ſecundum ſe non eſt concupiſcibile , ſed magis horribile , quia non habet de ſe rationem alicujus boni : ſed adulterium habet rationem alicujus boni , ſcilicet delectabilis ; furtum etiam habet rationem alicujus boni ; ſcilicet utilis. Bonum autem de ſe habet rationem concupiſcibilis & ideo fuit ſpecialibus præceptis prohibenda concupiſcentia furti , & adulterii ; non autem concupiſcentia homicidii.*

XXX. Ad confirm. dico , Petri Abailardi errorem non fuiſſe eum , qui aſſumitur , ſed hunc : nempe , ad ſalutem conſequendam opera eſſe prorſus inutilia , etiam ut a voluntate interiore procedunt : ideoque Chriſti Paſſionem , & Mortem fuiſſe ſuperfluam , aſſerebat , cum ſatis fuiſſet deſiderium moriendi ; ut ait D. Bernardus *tract. de Erroribus Abailardi cap. 8.* alias *Epiſt. ad Innocentium II.* Quod ſine eſt impium : cum Chriſti mors adeo in Scriptura commendetur , ut noſtra ſalus ei affigatur. Sicut & quod opera ſint ad vitam æternam utilia , ſi bona ; ſi vero mala , damnationis æternæ reatum inducant , teſtatur Paulus 1. Cor. 6. ver. 9. 10. *An neſcitis , quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt ? Nolite errare : neque fornicarii , neque Idolis ſervientes , neque adulteri , neque molles , neque maſculorum concubitores , neque fures , neque avari ... Regnum Dei poſſidebunt.* Ab hoc autem quantum diſtet noſtra ſententia , quæ operibus externis præmium , & pœnam ſtatuit , nemo non videt.

XXXI. Quarto objicies. Peccatum definitur a D. Thoma 1. 2. *qu. 71. art. 6.* ( ex D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. ) quod ſit *factum , vel dictum , vel concupitum contra æternam legem.* Et *qu. 72. art. 7.* dividitur *in peccatum cordis , oris , & operis* ; ergo diverſa malitia eſt in his tribus peccati ſpeciebus.

XXXII. Confirmatur primo. D. Thom. hic *art. 1. 2. & 3.* actibus exernis , quos dicimus bonos , vel malos ex genere , concedit bonitatem , vel malitiam propriam , nempe , ex

objecto; & hanc dicit eſſe priorem bonitate, & malitia actus voluntatis; Et jure: nam ideo actus: *volo furari*, eſt malus, quia ipſum furari eſt malum; ergo &c.

XXXIII. Confirmatur ſecundo. Si velle furari eſt malum; quia furari eſt malum; ergo ipſum furari eſt pejus; ſicut ex quo concluſio eſt vera, quia præmiſſæ ſunt veræ, ſequitur, veriores eſſe præmiſſas, juxta illud: *Propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis.*

XXXIV. Reſpondetur, neg. conſ. Nam, ut docet S. Thom. *qu.* 72. laudato *art.* 7. hæc diviſio peccati in peccatum cordis, oris, & operis, non eſt ſicut in tres ſpecies completas, ſed ſicut in tres gradus peccati; quod fundamentum habet in corde, progreſſum in ore, & conſummationem in opere. Et ſicut fundamentum ſuſtinet ædificium: ita cor, ſeu voluntas ſuſtinet peccatum in ore, & opere: ſi enim non adſit peccatum in corde, nec erit in ore, nec in opere. Unde ibi ad 3. *Dicendum* (inquit) *quod peccatum cordis, & oris non diſtinguuntur a peccato operis, quando ſimul cum eo conjunguntur, ſed prout quodlibet horum per ſe invenitur:* (nempe, peccatum cordis ſine aliis, & peccatum oris ſine peccato operis) *ſicut etiam pars motus non diſtinguitur a toto motu, quando motus eſt continuus; ſed ſolum quando motus ſiſtit in medio.*

XXXV. Ad primam confirm. dico, bonitatem, & malitiam, quam actus ex genere boni, vel mali habent ex objecto, & quæ prius eſt in ipſis, quam in voluntate, eſſe bonitatem, vel malitiam objectivam, non exercitam, & formalem: hanc enim ſolum habent, ut a voluntate imperantur, & de hac loquimur in præſenti. Unde S. Thom. *hac qu.* 20. *art.* 1. *ad* 1. ait: *Actus exterior eſt objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione, ut quoddam bonum apprehenſum, & ordinatum per rationem: & ſic eſt prius bonum, quam actus voluntatis: in quantum vero conſiſtit in executione operis, eſt effectus voluntatis, & ſequitur voluntatem* —— Dum ergo dico: ideo velle furari eſt malum, quia ipſum furari eſt malum, ſi ly *ideo* dicat cauſam objectivam, & furtum, ut apprehenſum, ac intentum accipiatur, verum dico. Si vero ly *ideo* dicat cauſam exequentem, & facientem, ut furtum exercite, & formaliter malum ſit, falſum dico. Quia (inquit D. Thom. qu. 2. de malo art. 4.) *Si accipiatur actus peccati ſecundum quod eſt in executione operis, ſic primordialiter, & per prius eſt culpa in voluntate.*

XXXVI. Ad ſecundam confirm. nego conſequentiam. Nam in primis illud axioma veritatem non habet in cauſis non univocis. Non enim ſequitur: aer eſt calidus propter Solem; ergo Sol eſt magis calidus. Deinde fit tranſitus a genere cauſæ objectivæ, & intentivo, ad genus executionis, & cauſæ formalis: eſto autem in primo genere voluntas furandi ſit mala, quia eſt de objecto ex ſuo genere malo, nempe furto: in ſecundo autem genere, nempe executionis, ideo furari malum eſt, ac peccatum, quia voluntate fit, & malitia voluntatis denominatur. Quare D. Thom. citata qu. 2. *de Malo art.* 3. *ad* 8. ſimili argumento reſpondens: *Dicendum* (inquit) *quod actus interior dicitur eſſe malus propter actum exteriorem, ſicut propter objectum: tamen culpa completur in actu interiori.* Veritas autem concluſionis in omni genere cauſatur a veritate principiorum: & ideo non eſt ſimile.

XXXVII. Quinto objicies. Melius eſt Sacramenta recipere, quam eorum recipiendorum ſolam voluntatem habere. Melius etiam eſt per jejunium, aut eleemoſynam pro peccatis ſatisfacere, quam ſolum velle jejunare, aut eleemoſynam facere. Et Chriſtus plus boni nobis præſtitit mortem Crucis perferendo, quam ſola voluntate moriendi; ergo actus exterior bonitatem addit &c.

Urgetur. Qui moritur pro Chriſto, melior eſt, quam qui habet ſolam voluntatem pro eo moriendi, etſi efficacem: exercet enim actum præſtantiſſimæ virtutis; ergo &c.

XXXVIII. Reſpondeo, nego conſeq. Quia hic non diſputatur de efficacia operum, quam habent, vel habere poſſunt ex peculiari inſtitutione, vel ordinatione; ſed de ipſorum bonitate, & malitia. Hinc non eſt dubium, quin melius ſit, Sacramenta in re ſuſcipere, quam ſolum ea recipiendi voluntatem habere: quia Sacramenta, ſecundum inſtitutionem Chriſti, valent ex opere operato, non ex opere operantis; ex cujus parte actus morales habent bonitatem, vel malitiam. Chriſtus autem valorem operis operati non contulit voluntati ſuſcipiendi Sacramenta, ſed reali ſuſceptioni eorum —— Nec etiam eſt dubium, quin utilius ſit jejunando, & eleemoſynas largiendo ſatisfacere pro peccatis, quam ſolum iſta velle. Non quod coram Deo melior ſit, qui jejunat, aut eleemoſynam tribuit, quam is, qui æqualem habet voluntatem iſta faciendi; ſed aliquo impedimento involuntario detinetur ne faciat: ſed propter alias rationes, quas ſupra indicavimus: & etiam quia vis ſatisfactionis non ſolum pendet a voluntate ſatisfacientis; ſed etiam penſatur ab opere, quod eſt pœnale. Quod tamen pœnalitas iſta aſſumatur propter Deum, & in ſatisfactionem, ex voluntate, & animo eſt.

Quod vero de Chriſto movetur: quamvis certum ſit, quod ſola ejus voluntas moriendi (quoad valorem attinet) æque potuiſſet eſſe ſufficiens pretium Redemptionis noſtræ; quia omnes Chriſti actiones, etiam internæ, ſive externæ, erant valoris ſimpliciter infiniti: nihilominus verum eſt, contra Abailardum, plus nobis contuliſſe Chriſtum per mortem, quam per ſolam mortis voluntatem. Quia ejus mors, ſecundum divinam ordinationem, erat deputata, ut eſſet abſolutum pretium noſtræ Redemptionis; utque Redemptio noſtra non conſummaretur, niſi per eam: & idcirco ſi non fuiſſet ſecuta, non fuiſſemus ſimpliciter, & conſummate redempti, & juſtificati, quomodo nunc ſumus. Semper tamen ſubſiſtit, quod ex Chriſti voluntate ad ejus mortem valor derivaverit.

XXXIX. Ad id, quod urgetur, dico, eum, qui pro Chriſto moriatur, non eſſe coram Deo meliorem (quod attinet ad magnitudinem Charitatis) eo, qui non moritur; ſi uterque æqualem voluntatem habeat moriendi pro Chriſto: quo fit, ut uterque æquale præmium eſſentiale recipiat. Nam ut ait Auguſt. Serm. 296. alias 160. de diverſis cap. 4. *Non enim quia Joanni Apoſtolo paſſio defuit, ideo paſſioni animus præparatus deeſſe potuit... Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri miſſi ſunt in caminum non victuri: negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, paſſi non ſunt: interroga voluntatem, coronati ſunt.* Cæterum quantum ad præmium accidentale, melior eſt ille, qui realiter mortem patiatur; quia habebit aureolam difficultati operis correſpondentem, quam alius non habebit. Ita S. Thomas in 2. *diſt.* 40. *qu.* 1. *art.* 3. his verbis: *Ad præmium autem accidentale ordinatur per bonitatem, quæ eſt ipſius actus exterioris ſecundum ſe: & ideo actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale. Verbi gratia martyr, in quantum exterius patitur, victoriam de adverſariis fidei habet, & ex hoc ſibi aureola debetur. Similiter etiam aliquis ex hoc, quod in actum exteriorem frequenter exit, magis habilitatur ad bonum; & ex hoc ſequitur, quod in charitate creſcat. Similiter per actum exteriorem punitur magis, quam per voluntatem tantum: & ideo actus exterior adjungitur in ſatisfactionem.*

## QUÆSTIO IV.

DUas eſſe regulas moralitatis, ſeu bonitatis, vel malitiæ in actibus humanis, jam oſtendimus. Unam extrinſecam, nempe, legem æternam in mente Dei reſidentem: aliam intrinſecam in mente hominis poſitam, & a lege æterna Dei in hominem derivatam dictantem ei, quid hic, & nunc agere debeat; & hanc vocamus conſcientiam, de qua in præſenti quæſtione acturi ſumus.

### DUBIUM I.

*Quid ſit Conſcientia, & Quotuplex?*

### §. I.

*Reſolvitur prior Pars.*

I. COnſcientia, ſi etymologiam nominis attendamus, vel idem eſt ac *cordis ſcientia*, videlicet, ſcientia ſoli homini, qui eam in corde habet, parens. Ita eam accipit Hugo Victorinus *lib. de anima cap.* 11. Vel idem, ac *concludens ſcientia*, ut D. Antoninus 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. & Silveſter in Summa, verbo *conſcientia nu.* 1. Vel idem, ac *cum alio Scientia*; quia non eſt ſcientia præciſe; ſed applicatio ſcientiæ ad opus: & hæc videtur ſignificatio magis ad rem accedens. Et ita eam accipit D. Thomas *qu.* 17. *de Verit. art.* 1. dicens: *Nomen conſcientiæ ſignificat applicationem ſcientiæ ad aliquid: unde conſcire dicitur, quaſi ſimul ſcire.*

II. Si vero rem ſignificatam ſpectemus, conſcientia definiri poteſt ex D. Thoma 1. *par. qu.* 79. *art.* 13. quod ſit *Judicium, ſeu actus intellectus, quo aliquis applicat ſuam ſcientiam practicam, ſeu dictamen rationis ad aliquid agendum.* Quibus patet differentia inter ſyndereſim, & conſcientiam: quod ſyndereſis nominat habitum proponentem principia practica; conſcientia vero nominat actum intellectus applicantis talia principia ad particulares caſus. Sicut enim in ſpeculabilibus datur habitus principiorum, qui verſatur circa principia; & deinde ſcientia ex eis deducens, & quaſi procedens ad particulares concluſiones: ita in practicis datur ſyndereſis, quæ eſt habitus naturaliter inditus, qui verſatur circa principia operabilium; & conſcientia, quæ ea applicat in particulari ad agendum hic, & nunc. Ita D. Thom. 1. *par. qu.* 79. *art.* 12. & 13. Ubi docet, ſyndereſim non eſſe potentiam, ſed habitum intellectus practici; conſcientiam vero non eſſe potentiam, nec habitum, ſed actum, ſeu applicationem intellectus practici, & ſyndereſis ad agendum. Unde duo eruuntur: unum conſcientiam ſpectare ad intellectum, non ad voluntatem; alterum, non eſſe potentiam, nec habitum, ſed actum.

III. Hoc oſtendit S. Doctor citato *art.* 13. & *qu.* 17. *de Verit. art.* 1. Non enim conſcientia eſt potentia; quia conſcientia deponi poteſt: potentia autem, cum ſit proprietas animæ, deponi non poteſt, aut variari —— Neque habitus: nam omnis habitus, vel eſt naturalis, vel infuſus, vel acquiſitus: ſed conſcientia non eſt habitus naturalis, quia talis habitus eſt idem apud omnes: non omnes autem eamdem conſcientiam habent. Neque eſt infuſus; quia habitus infuſus ſemper eſt rectus: conſcientia autem quandoque non eſt recta. Neque eſt habitus acquiſitus: quia ſic in pueris conſcientia non eſſet, neque in homine, antequam per multos actus eam acquiſiviſſet; ergo &c.

IV. Quod vero conſcientia ſit actus, probat D. Thomas primo ex ipſa ſignificatione nominis. Nam conſcientia ſignificat applicationem ſcientiæ ad aliquid; unde conſcire dicitur, quaſi ſimul ſcire: applicatio autem ſcientiæ ad aliquid particulare nominat actum. Secundo ex iis, quæ conſcientiæ attribuuntur. Dicitur enim conſcientia teſtificari, ligare, vel inſtigare, vel etiam accuſare, ſeu remordere, aut reprehendere: ſed hæc omnia conſequuntur applicationem alicujus noſtræ cognitionis, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus, ergo &c. Min. prob. Applicatio cognitionis ad ea, quæ agimus, tripliciter contingit. Vel dum recognoſcimus, aliquid nos feciſſe, vel





non feciſſe; unde in communi uſu loquendi dicere ſolemus: de conſcientia hoc feci, vel non feci; ſive neſcio, an hoc ſit factum, vel non factum. Quomodo intelligitur illud *Gen.* 43. *verſ.* 22. ubi fratres Joſeph dicunt: *Non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam* (pecuniam) *in marſupiis noſtris.* Illud etiam Eccleſiaſtæ 7. v. 23. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebro maledixiſti aliis.* Et hoc modo dicitur conſcientia teſtificari, ſecundum illud Pauli Rom. 9. v. 1. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea* —— Vel dum per conſcientiam judicamus, aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum: & ſecundum hoc conſcientia dicitur ligare, vel inſtigare; & habet ſimilitudinem Legislatoris præcipientis, aut prohibentis, ſecundum illud Proverb. 12. verſ. 18. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientia* —— Vel dum converſi ad ea, quæ fecimus, judicamus per conſcientiam, bene, vel non bene nos feciſſe: & hoc modo dicitur conſcientia, vel excuſare; & ſic dicebat Paulus 1. Cor. 4. verſ. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum:* vel accuſare, & remordere, quando nempe invenitur, factum diſcordare a ſcientia, ideſt ab habitu ſyndereſis, & ſapientiæ, ſecundum illud Rom. 2. verſ. 15. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus:* ubi conſcientia locum habet vel judicii, vel accuſatoris. Patet autem, quod omnia hæc nominant actum conſequentem actualem applicationem ſcientiæ ad aliquid: unde conſcientia nominat actum.

V. Obſervat tamen S. Thomas citatis locis: *Quod quia habitus eſt principium actus, quandoque nomen conſcientiæ tribuitur primo habitui naturali ſcilicet ſyndereſi. Sicut Hieronymus* in cap. 1. Ezech. *ſyndereſim conſcientiam nominat. Baſilius* (in princip. Proverb.) *naturale judicatorium; & Damaſc.* (l. 2. de Fide c. 12.) *dicit, quod eſt lex intellectus noſtri. Conſuetudo enim eſt, quod cauſæ, & effectus per invicem nominentur.* Eadem ratione dicitur lex, quia eſt judicium rationis ex lege naturali deductum. Dicitur ſcientia, nempe, tamquam actualis applicatio ſcientiæ: *Habitus autem, ex quibus conſcientia informatur, etſi multi ſint, omnes tamen efficatiam habent ab uno primo principio, ſcilicet, ab habitu primorum principiorum, qui dicitur ſyndereſis. Unde ſpecialiter hic habitus interdum conſcientia nominatur.* Ita D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 13. citato *ad* 3. Ex repetitis autem conſcientiæ actibus non generatur habitus, qui ſit conſcientia; ſed habitus, qui per conſcientiam applicantur, augentur; ut D. Thom. *q.* 17. *de verit. art.* 1. citato *ad* 4. ubi alia plura docet a meo Candidato ad ſui inſtructionem obſervanda.

VI. Quod vero conſcientia ſit actus rationis, ſeu intellectus, non voluntatis, indicat ipſum conſcientiæ nomen, quod idem eſt, ac *cum ſcientia*, ſeu *conſcire*. Et D. Thom. hoc *art.* 13. 1. *p. ad* 1. vocat conſcientiam *quoddam mentis dictamen*. Baſilius ſupra relatus *naturale judicatorium animæ*. Et actus ipſi, in quibus officia conſcientiæ applicantur, nempe, errare, teſtificari, accuſare, reprehendere, corrigere, judicare, ſatis demonſtrant, conſcientiam eſſe actum intellectus. Unde Eccleſiaſtæ 7. v. 23. dicitur: *Scit enim conſcientia tua &c.* Et 1. Cor. 10. v. 29 *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?* —— Quod vero ſit actus intellectus practici, etiam conſtat. Eſt enim dictamen judicans, quid hic & nunc ſit agendum; ſeu applicatio ſcientiæ ad opus in particulari faciendum, vel non faciendum; conſiderare enim de operibus moralibus in communi, pertinet ad ſcientiam moralem, non ad conſcientiam, quæ diſcernit, & judicat de facto particulari, an ſit faciendum, vel non; an ſit bene factum, vel male.

VII. Sed dices. Conſcientia dicitur eſſe bona, vel mala, ſeu inquinata. Unde *Act.* 23. *v.* 1. dicit Paulus: *Ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum:* ad Timoth. Ep. 1. c. 1. v. 5. *Finis autem præcepti eſt Charitas de corde puro, & conſcientia bona:* ad Titum 1. v. 15. *Inquinata ſunt eorum, & mens, & conſcientia.* Et ad Hebr. 9. verſ. 14. emundari dicitur: *Emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* Sed eſſe bonum, & malum, inquinari, & emundari pertinet ad actum voluntatis, in quo eſt bonitas, vel malitia moralis; ergo &c.

Confirmatur. Non enim dicitur quiſpiam eſſe bonæ conſcientiæ, quia, & ex hoc, quod ſcientia polleat; ſed ex hoc, quod ſit bonæ voluntatis.

VIII. Reſpondeo, neg. min. Primo. Quia non ſoli voluntati convenit eſſe bonam, ſed etiam intellectui practico. Unde *Pſalm.* 110. *v.* 10. dicitur: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum:* conſcientia autem, ut dicebamus, pertinet ad intellectum practicum: unde ejus dictamen dicitur bonum, vel pravum, ſecundum quod conformatur, vel difformatur rationi rectæ. Sicut etiam illatio dicitur bona, vel mala, ſi conformatur, vel difformatur regulis bonæ conſequentiæ.

IX. Secundo. Quia conſcientia dicitur bona, vel mala, eo quod homo ſibi conſcius eſt bonæ, vel malæ voluntatis, bonorum, vel malorum operum: unde 1. *ad Timoth.* 1. citato dicitur inquinata mens, & conſcientia.

X. Tertio. Quia conſcientia dicitur inquinata, mala, vel munda, & bona per analogiam ad voluntatem; non quia in ſe talis ſit. Ita S. Thom. q. 17. de Veritat. art. 1. ad 2. *Inquinatio non dicitur eſſe in ſcientia, ſicut in ſubjecto, ſed ſicut ſcitum in cognitione: dicitur enim aliquis habere conſcientiam inquinatam, quando alicujus inquinationis ſibi eſt conſcius.* Quamvis ſæpe contingat, eſſe peccatum in aliquo; qui tamen conſcientiam peccati non habet: unde ajebat Paulus 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quare D. Th. citato loco ad 3. *Secundum hoc* (inquit) *conſcientia inquinata mundari dicitur, ſecundum quod aliquis, qui fuit ſibi conſcius prius peccati, poſtmodum ſcit* (ſeu rationabiliter exiſtimat, vel exiſtimare poteſt) *ſe eſſe a peccato mundatum; & ita dicitur habere conſcientiam puram: Eſt enim eadem conſcientia, quæ prius immunda eſt, & poſtea munda; non quidem ita, quod conſcientia ſit ſubjectum munditiæ, & immunditiæ: ſed quia per conſcientiam examinantem utrumque cognoſcitur .... quia ex eiſdem principiis* (eſto non eodem numero actu) *utrumque cognoſcitur.*

Ad Confirm. reſpondeo, non dici aliquem bonæ conſcientiæ præciſe, quod ſcientia polleat: ſed ex eo, quod ſciat, ſe eſſe bonæ voluntatis, ſeu quod nihil mali ſibi conſcius ſit: ſcire autem, ſeu ſibi conſcium eſſe, eſt actus intellectus practici, ſicut & judicium practicum, non voluntatis.

### §. II.

*Reſolvitur ſecunda Pars.*

XI. DIviſio conſcientiæ ſumi poteſt, vel ex parte objecti, vel ex parte aſſenſus. Ex parte objecti, dividitur in rectam, ſeu bonam, aut veram; & in non rectam, ſeu malam, aut falſam. Conſcientia recta, bona, & vera eſt, quæ dictat, eſſe bonum id, quod revera eſt bonum, & conforme legi, tam in ſe, quam attentis circumſtantiis; ſicut e contra eſſe malum id, quod revera in ſe, & attentis circumſtantiis eſt malum. Conſcientia vero non recta, mala, & falſa eſt, quæ vel objectum malum proponit, vel objectum bonum non bene, ſed malo modo, aut non debitis circumſtantiis.

XII. Ex parte vero aſſenſus dividitur in certam, probabilem, dubiam, ſcrupuloſam, & erroneam. Conſcientia certa eſt, quæ nulla hæſitatione, ac formidine de oppoſito pulſatur.

Probabilis eſt, quæ adhæret uni parti, formatque dictamen de agendis, ex probabili quidem fundamento, ſed non certo, omnemque formidinem excludente.

Dubia eſt, quæ nec aſſentitur, nec diſſentitur alteri parti contradictionis; ſed anceps hæret inter utramque.

Scrupuloſa, quæ minor eſt dubia, illa eſt, quæ levi dubio ducitur, & habet hæſitationem ex levi fundamento ortam.

Erronea tandem eſt, quæ falſis principiis, & fundamentis format dictamen repræſentans aliquid ut conforme regulis rectæ rationis, cum revera non ſit. Seu, quæ id, quod bonum eſt, judicat malum; aut quod malum eſt, judicat bonum. Quare cum conſcientia non recta, aut falſa confundi ſolet.

XIII. Bonitas primæ diviſionis ex parte objecti probatur. Nam conſcientia ſuo judicio, vel attingit veritatem, ſeu bonitatem actionis moralis; vel non. Si primum: eſt conſcientia recta, vera, & bona. Si ſecundum: eſt non recta, falſa, & mala.

XIV. Bonitas ſecundæ ex parte aſſenſus probatur. Nam conſcientia, vel judicat ſecundum principia certa, vel probabilia, vel dubia, vel falſa. Si judicat ſecundum principia certa: judicat abſque omni prorſus formidine, aliquid eſſe bonum, vel malum: & ſic eſt certa. Si judicat ſecundum probabilia: adhæret quidem uni parti, ſed non ſine formidine alterius: & ſic eſt probabilis. Si ſecundum principia dubia ut neutri parti ſciat ſe determinare; & hoc, vel ex gravi fundamento, & ſic eſt dubia: vel ex levi, & ſic eſt ſcrupuloſa. Vel tandem ſecundum principia falſa judicat aliter, ac eſt; & ſic eſt conſcientia erronea.

XV. Adeſt quoque conſcientia tuta, ſeu ſecura. Sed hanc non annumeramus inter membra dividentia: quia ſecuritas conſcientiæ eſt finis, qui intenditur in conſcientia formanda: & poteſt inveniri ſecuritas, tam in conſcientia certa, quam in probabili, ſi vere, & in praxi probabilis ſit. Conſcientia ergo ſecura eſt conſcientia prudenter formata: ubi enim prudentia operatur, abeſt temeritas, & ſic ſecure proceditur, quia prudentia ſecuram regulam præbet, cum ſit virtus. Unde conſcientia, ut ſit tuta, & ſecura, poſtulat aliquam certitudinem ſaltem in praxi. Nam ſi ſit ſecura, quia certa, & indubitata, ut nulla formidine pulſetur; manifeſtum eſt, eam eſſe tutam. Si vero ſit ſecura, quia probabilis; debet habere certitudinem de ejus probabilitate: ita ut eſto ſpeculative aliqua pulſetur formidine de ejus veritate; facta tamen diligentia, & penſatis omnibus, prudenter exiſtimet, eam eſſe probabilem. Unde cum prudenter operetur, & prudentia regula certa ſit; ſecure operatur in praxi. Si vero ad hoc non perveniat, ut judicium de facto, & certo non ſit prudens; conſcientia non eſt ſecura, ſed dubia, vel etiam erronea; quamvis ſpeculative, & diſpoſitive probabilitatem habeat.

### DUBIUM II.

*De Conſcientia Recta.*

### §. I.

*A quo Conſcientia dicatur Recta.*

I. DIco. Conſcientia dicitur recta ex eo, quod dictat ſecundum rectam rationem. Ita ex Div. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 3. communiter. Verum obſervandum eſt: quod recta ratio alia eſt ſpeculativa, quæ apprehendit rem, ſicut eſt; unde ex Philoſopho: *Ab eo, quod res eſt, vel non eſt, ratio dicitur vera, vel falſa.* Alia vero eſt recta ratio practica; quæ tunc recta dicitur quando dictat ſecundum regulas prudentiæ, ſeu ita judicat, ac proponit, quomodo vir prudens hic, & nunc faceret, attentis præſentibus circumſtantiis. Cum ergo dico, conſcientiam eſſe rectam ex eo, quod dictat ſecundum rationem rectam; loquor de ratione non ſpecula-